PLVTARCHI
LIBELLVS

Ad Erclanum, quomodo aliquis ſe ſe laudare ſine inuidia poſsit.

A Iulio Gabrielio Eugubino latine redditus.

Laudatio Ferdinandi Gonzagæ Melfictæ Principis & Arriani Ducis, ab eodem ſcripta.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS,
Ex Officina Nicolai Beuilacquæ.
M D LXI.

HERCVLI GONZAGAE CARDINALI AMPLISSIMO IVLIVS GABRIELIVS S. P. D.

CVM primum mihi viſus ſum in græcis literis aliquantum profeciſſe, hoc inſtitutum tenui, vt quicquid græce vel ipſe legerem accuratius, vel ab alijs audirem ſtudioſius, latine redderem: idq́; profecto meorum tantum ſtudiorum gratia, quòd ſcirem, hoc exercitationis genus tum ab ipſo Cicerone, quem mihi adoleſcens præcipue ſequendum, imitandumq́; propoſueram, tum etiam à multis alijs præſtantis ingenij, & doctrinæ viris maxime laudatum, atq; comprobatum fuiſſe. nam qui ſpe gloriæ, & laudis adducti in græcis vertendis elaborant, quid demum proficiant, ipſi viderint: mihi quidem videntur pleriq; non tam nouæ commendationis quicquam colligere, quàm periculum adire, ne de veteri exiſtimatione, ſi quam fuerant adepti, multum per-

dant: vulgare enim hominum vitium eſt, ut libentius, ſi quid exiſtiment minus commode uerſum eſſe, notent, & reprehendant, quàm ſuſceptum laborem, quamuis vtilem, probent, ac laudent. Quamobrem ego nihil minus uſque ad hanc diem cogitaui, quàm vt ex ijs, quæ è græco in latinum vertiſſem, quicquam in lucem proferrem; neque tamen potui ita aſſeruare omnia, & comprimere, quia Plutarchi libellus περὶ τῷ ἑαυτὸν ἐπαινεῖν ἀνεπιφθόνως, à me olim conuerſus emanaret, atque adeo typis, neſcio quo pacto, me quidem certè inſcio, nec opinante, impolitus adhuc, & rudis imprimeretur. & quanquam meam hanc lucubrationem pluribus ſic probari intelligebam, vt mihi non nimis pænitendum videretur, quod meo etiam nomine inſcripto in manus hominum perueniſſet, tamen ex eo tempore ſemper in animo habui, idem opuſculum cum græco iterum conferre, vt ei aliquando extrema manus accederet; ſed grauioribus ſtudijs occupatus non prius commode potui ſuſceptam cogitationem expedire, quàm ſuperiore æſtate. atq; id quidem tuo potiſsimum beneficio, Patrone optime cum Mantuæ apud te iucundiſsimo

ocio

ocio fruerer. dedi igitur operam æſtiuis illis diebus, ut hunc libellum quàm maxima poteràm diligentia corrigerem, & perpolirem, ac poſtea, vt verius, quid eſſem aſſequutus, intelligerem, commiſi illum, & credidi eruditiſſimorum quorundam uirorum iudicio, meo quidem parum confidens: hi uero adeo melio rem a me redditum eſſe affirmarunt, vt etiam ſuaſerint, ac uehementer petierint, ut ipſorum periculo curarem eum iterum imprimendum, polliciti fore, ut gratior nunc omnino, & opta tior omnibus accideret. horum itaque cohortatio, & auctoritas tanti apud me fuit, ut animum induxerim, eum tandem, qualiſcunque eſſet, mea ſponte edere: & quamuis putarem, opus tam utile, & á philoſopho tam graui,atq; erudito græce conſcriptum, per ſe digniſsimũ eſſe, quod latinis literis extaret; tamen cum his ipſis diebus haberem in manibus, & inſpicerem orationem,quam duobus ab hinc annis ad laudandum Ferdinandum fratrem tuum, pro meo incredibili erga te ſtudio, ac ſummo gratificandi deſiderio compoſueram: uenit mihi in mentem facere, vt eam huic opuſculo adiungerem, ut ſine vlla omnino acceſsione

lucri

lucri exiret. uidere ſanè videbar, id ſatis opportune cadere, quod ſcilicet, quemadmodũ qua ratione aliquis ſeſe laudare ſine inuidia poſsit, ex Plutarchi libello facile percipitur, ita liceat ex hac oratione mea intelligere, quomodo exiſtimem ego quidem poſſe a nobis alterum pro ipſius dignitate ſine auditorum, lectorumve faſtidio laudibus ornari. Neque uero ignorabam, eximii huius uiri, ac fortiſsimi imperatoris laudes adumbratas à me potius, quam expreſſas eſſe: ſed eo minus ab hac laudatione emittenda ſum deterritus, quod, cum in rebus ab ipſo geſtis digna cuiuſlibet uel ſummi oratoris copia, & facultate materies inſit, vehementer cupio, excitari aliquem actiore ingenio, ac præſtantiore doctrina prædictum, qui opus a me pro mea imbecillitate inchoatum, perfectè abſoluat, & tanti ducis nomen, ut eſt meritus, ſempiternæ memoriæ, gloriæq; commendet. Hæc dicere libuit, ut neminem prætereat, quæ me ratio impulerit ad has meas uigilias hoc tempore diuulgandas. Cur autem eas in tuo nomine, Cardinalis amplisſime, apparere uoluerim, plures ſunt & maximæ cauſæ, ac primum, quod ſimul atque tuorum familiarum

miliarum numero pro tua ſingulari humanitate aſcriptus ſum, me ipſum, meaq; omnia tibi planè dicaui: deinde, quia animaduerti, omni te bonarum diſciplinarum genere adeo delectari, ut quanquam multis, grauiſsimisque occupationibus aſsidue diſtineris, diem tamen nullum ferè intermittas, quin aliquid uel per te ipſe diligenter legas, uel à doctiſsimis uiris, quorum delectam copiam domi tuæ ſemper habuiſti, attente audias. tempora nimirum ita ſcienter diſpertis, ut nec ualetudini, honeſtæve animi remiſsioni planè deſis, & ſimul negociis, litterarumque ſtudiis tum grauioribus, tum lenioribus cumulate ſatisfacias. in quo uideris hercle mihi cum primis admirabilis eſſe, & illuſtre quoddam exemplum præbere cæteris Principibus uitæ ſuæ recte diſtribuendæ, atq; conformandę dum re ipſa oſtendis, & planum facis, ijs duntaxat tempus deeſſe, qui ipſi tempori deſunt. Accedebat eodem, quod ſummopere optabam, præcipuam meam erga te obſeruantiam, & ſingulare ſtudium monumento aliquo conſignari, atque etiam in poſterum, quantum in me eſſet, propagari. Tu uelim meam hanc uoluntatem

ames,

ames, & complectaris, & hos qualeſcunque labores beneuolo, libentique animo ſuſcipias, ac tucaris. Vale. Pataui j.

PLVTARCHI LIBELLVS AD ERCLANVM

Quomodo aliquis ſe ſe laudare ſine inuidia poſsit.

A Iulio Gabrielio Eugubino latine redditus.

DE ſe ipſo, ſuaque uirtute aut potentia apud alios prædicare, nemo eſt Erclane quin odioſum eſſe atque ingenuo uiro minime dignum, uerbo fateatur: re autem perpauci uel ex ijs, qui id maxime improbant, huius rei faſtidium effugerunt; ſiquidem Euripides, qui
„ dixit. Si uerba eſſent hominibus coemenda,
„ nemo fermè vellet ſe ipſum laudare: nunc ue-
„ ro, quia haurire ea ex immenſo aere gratis li-
„ cet, gaudenti quiſque animo tum uera, tum
„ falſa de ſe prædicat: nec enim damni quicquā
„ hoc affert; moleſtiſsima iactatione uſus eſt,
dum etiam affectibus, & rebus his, quæ tragice aguntur, ſui laudationem, nihil ad rem facientem intexuit. Item Pindarus, qui dixit.
„ Intempeſtiua iactatio inſaniam redolet; nun-

quam deſinit, magnifice de ſua facultate loqui, digna illa quidem præconijs; nemo negat: ſed uel eos, qui in ludis, ac certaminibus corona donantur; uictores pronunciant alij, ut faſtidium, quod affert ſui ipſius prædicatio, remoueant. Quare etiam Timotheo, ob uictoriam contra Phrinidem ſcribenti:

„ Beatus fuiſti, Timothee, cum dixit Præco,
„ uicit Timotheus Mileſius Carbonis filium Io-
„ nocamptam;

Non iniuria ſuccenſemus, ueluti inſulſe nimis, ac perinique ſuam uictoriã prædicanti: laus.n. quæ ab alijs proficiſcitur accidit, ut xenophon dixit: ei ipſi, cui tribuitur, omnium uocum, iucundiſsima; quam uero aliquis de ſe profert, ea eſt aliis moleſtiſsima: primum enim illos, qui ſe ipſos laudant, impudentes iudicamus; cum deceat eos, etiam ſi ab aliis collaudentur, pudore affici: deinde iniquos, qui illa ſibi ſua ſponte ſumant, quæ ab aliis æquum erat, ut acciperent: tertio loco aut dum tacemus, mœrere, atque inuidere eorum gloriæ uidemur; aut id ueriti, dum præſentes laudare, animum inducimus; cogimur eorum laudibus præter ſententiam ſuffragari, eaſq; teſtimonio noſtro confir-

confirmare: id quod illiberalis potius aſſentatoris, quam ingenui laudatoris eſſe uidetur. Verum enimuero quamuis hæc ita ſe habeant, experiri tamen aliquando poterit homo politicus, ut ſui ipſius prædicationem attingat, non ſanè propriæ gloriæ, aut gratiæ cauſa; ſed ubi res & tempus, ueri aliquid de ipſo etiam dici, ita poſtulet, ut quod maxime: præſertim ſi & rerum geſtarum gloria, & uirtute floreat, ut dubitari nequeat, quin eiuſmodi aliquid dixerit, aut fecerit: pulchrum enim ea laus fructum affert, cum aliæ plures ex ea tanquam ex ſemine, ac præſtantiores oriantur: nimirum gloriã homo politicus nõ ueluti mercedem aliquam, aut ſolatium uirtutis expetit, atque adamat, ſi eius illa actiones conſequatur; ſed quia, ſi fides ei tribuatur, & uir bonus exiſtimetur; magnã id ei ad plura, ac præſtantiora agenda facultatem præbet: facile enim eſt, ac periucundum, eos iuuare, qui tibi fidem habeant, teque beneuolentia complectantur: quòd ſi ſuſpectus fueris, atque inuiſus: haud poſsis utique uirtutem exercere, neque inuitos beneficio afficere, cum illud accipere recuſent. At uero, cũ liceat homini politico alias quaſdam ob cauſas

ſe ipſum laudare; conſiderandum eſt, quæ nã illæ ſint; ut leuitate, & moleſtia huius rei euitata, ſi quid utilitatis habet, ne omittamus. Illa igitur, qua ij utuntur, qui iccirco ſe ipſi laudant, ne laude careant; inanis eſt profecto laus; & contemnitur inprimis: cũ uideatur ambitionis duntaxat, & gloriæ intempeſtiuæ gratia proferri: ut enim qui cibo carent, ex proprio corpore ſe præter naturam neceſſario paſcũt, & is famis eſt terminus. item laudis præter modum auidi, niſi alios nacti ſint, qui eos laudent dum uidentur per ſemetipſos uelle ambitioni aliquid ſuggerere, ac ſubminiſtrare, indecore & turpiter agunt. Quòd ſi nec ſimpliciter, nec ſine comparatione ſtudeant ſe ſe laudare, ſed præ æmulatione, quaſi cæterorum gloriam obſcuraturi, alienis laudibus propria facta, & actiones comparantes opponant; tum uero rẽ agunt & uanam, & flagitioſam præterea ac maxime inuidioſam: qua enim ratione is qui in alienum chorum pedem ponit, curioſus ac ridiculus prouerbio perhibetur; eadẽ ratione ſui prædicatio, quæ dũ alienæ laudes explicantur, ab ipſa inuidia, & æmulatione in mediũ protruditur, in primis eſt fugienda. ac ne ab

aliis

aliis quidem tunc ſe laudari quiſquam pati debet, ſed his, quibus honos tribuitur, locum dare, modo ſint laude digni: quod ſi indigni, atque improbi uideantur, non ſunt illorum laudes noſtris obſcurandæ, ſed palàm redarguendo, & oſtendendo, immerito probari homines, atque ornari. Hæc igitur uitanda eſſe, nemini manifeſtum non eſt. Se uero ipſum laudare ſine reprehenſione primum licet, ſi calumniæ uel criminis diluendi gratia id facias, ueluti Pericles.

» At mihi tali uiro iraſcimini, qui nemine ad ea,
» quæ oportet, aut cognoſcenda, aut explicanda
» ſum inferior, quique ciuitatis amantiſsimus
» ſum, atque integerrimus?

Non modo enim arrogantiæ, leuitatis, & ambitionis opinionem effugit, tanta qui de ſe ipſo adeo grauiter eloqueretur; uerumetiam altitudinem animi ſui oſtendit, ac magnitudinẽ uirtutis: quæ quidem, dum nulla ex parte ipſa cadit, aut fit humilior; inuidiam deprimit, & captiuam ducit: nec enim amplius, de huiuſmodi uiris ut iudicium fiat, dignum putant; ſed erigunt ſe, geſtiunt, atque eorum iactationibus quaſi bacchantes applaudunt: cum ueras

illas

illas eſſe, & ſtabiles res ipſæ atteſtantur. Si qui dem Thebani eam ob rem imperatoribus in iudicium uocatis, quod eorum Bæotici imperij tempore iam confecto; non ſtatim rediiſſent, ſed in Laconiã irruiſſent, & res Meſſenenſes digeſsiſſent: Pelopidam animo cadentem, ac ſupplicantem uix abſoluerunt: in Epaminondam uero qui multa fuerat de ſuis rebus geſtis magnifice loquutus, tandemque profeſſus, mortem ſe alacri animo obiturum, modo faterentur, ſe inuitis ipſis, laconiam uaſtaſſe, Meſſenem in priſtinam ſedem reſtituiſſe, rectèque Arcadiam conſtituiſſe; ne ſuffragia quidem inire, animum induxerunt, ſed uirum illum admirantes, gaudentesq; ſimul & ridentes iudicium dimiſerunt. Quare nec Homerici Stheneli illud omnino reprehendendum.

„ Nos profecto patribus longe fortiores gloria-
„ mur eſſe ſi illud meminerimus.

„ Heu Tydei fili fortis equitis cur formidas?
„ curvè belli uias, & tranſitus circumſpicis?

Neque .n. quòd ipſe male audiſſet, ſed pro amico conuicio affecto contendebat, conuicio ipſo de ſe prædicandi, ac libere loquendi facultatem, uenia quidem maxime dignam, largiente.

giente. Atque etiam Romani Ciceronem, res ab ipſo in Catilinam geſtas ſæpius prædicantem, moleſte ferebant; ſed cum Scipione dicente, non decere eos de Scipione iudicium exercere, per quem haberent ipſi poteſtatem de uniuerſis hominibus iudicandi coronis ornati in Capitolium unà aſcenderunt,& ſacrificium fecerunt; ille enim nulla re cogente, ſed gloriæ tantum cauſa laude abutebatur; hic, cum in diſcrimine, & periculo uerſaretur,erat ab omni inuidia planè liber. Atqui non ſolum ijs, qui cauſam dicunt, quibusve periculum impendet; ſed his etiam, qui aduerſa fortuna utuntur, magis conuenit iactatio, & elatio, quam ijs, quibus cũ proſpere agitur: hi enim gloriam quaſi arripere, eaq; abuti uidentur, ut ambitioni ſeruiant; illi contra propter rerũ ſuarum ſtatum ab omni prorſus ambitionis ſuſpicione liberi, animi altitudinem, ac ſpiritum aduerſus fortunam efferre, & confirmare exiſtimantur, atque euitare omnino, ne propter acceptas calamitates miſericordiã implorent, ne defleant, nevè humili, & fracto animo ſe eſſe oſtendant. Quemadmodum igitur eos, qui dum deambulant, ſe ſe erigunt, atque ela-

ta

ta ceruice incedunt, ſtolidos, & uanos iudicamus: ſin autem dum pugnis certant, aut prælium committunt, tunc ſe efferant, atque extollant; ualde probamus: ita uir fortunæ iniquitate proſtratus, ſi ſe contra dirigat, & quaſi aduerſarium conſtituat, tanquam pugil in conſerendis manibus, ab humilitate ac demiſsione animi ad altitudinem, ac fortitudinem ſe iactatione transferens, nequaquam inſolens eſſe, aut odio dignus, ſed magnus planè uir, atque inuictus uidetur. Quare etiam Patroclum Poeta, quandiu res ei ex ſententia ſucceſſerunt, modeſtum ſemper fecit, atque ab inuidia alienum; cum uero moreretur, glorioſum, his ſcilicet uerbis ſe ſe iactantem.

„ Tales quamuis mihi uiginti obuiam ueniſſent.

Ad Phocion uir cæteri qui ualde mitis, atque humanus, poſteaquàm eſt condemnatus, cum multis aliis in rebus animi ſui altitudinem patefecit, tum in eo preſertim, quod lugenti cuidam ex ijs, qui unà cum ipſo erant morituri, & ualde quærenti.

„ Ain tu inquit? non æquo es animo de morte,
„ quam cum Phocione oppetis?

Nihilo præterea difficilius, atque adeo facilius

conce

conceditur politico homini, cum iniuria affi-
citur, ut aduerſus ingratos de ſe ipſo aliquid di
cat. ueluti Achilles, cum modeſtus eſſet alio-
qui, & gloriam Deo tribueret, ita inquiens.
„ Si quando conceſſerit Iupiter, ut Troianam
„ urbem munitiſsimam depopulemur;
Contumelia, & iniuria indigne affectus permi
ſit iactationem iræ.
„ Duodecim nauibus urbes diripui hominum.
Et.
„ Nec enim lucent is galeæ meæ frontem propè
„ aſpiciunt.
Recipit enim libertas loquendi, cum pars ſit
cauſæ dictionis, magniloquentiam. Eadem
ratione Temiſtocles, qui quidem in rebus ge
rendis nihil unquam dixerat, aut fecerat in-
uidioſum; ubi ſe uidit faſtidio iam Athenienſi-
bus & contemptui eſſe, non dubitauit dicere.
„ Cur, boni uiri moleſtiæ uobis, & faſtidio eſt,
„ ab ijſdem beneficium ſæpius accipere? curve
„ tempeſtate oppreſsi, tanquam ſub arborem
„ confugitis, ſerenitate rurſus certa abeuntes di
„ ſcerpitis?
Hi ſanè iniurijs ſine cauſa affecti, rerum, quas
præclare geſſerant, apud ingratos mentionem

fecerũt. At cui ea ipſa uitio dant,quæ bene administrauit, is uero omnino uenia dignus eſt, nec reprehẽdi poteſt ſi ſuas ipſe res geſtas laudibus efferat: uidetur enim non ut exprobret, ea dicere; ſed, ut ſe purget. id quod ſplendidam profecto,& magnam Demoſtheni præbebat dicendi libertatem, & cauſæ erat, ne faſtidium parerent laudes quas per totam fermè, quam de corona habuit, orationem diſperſit; quarum cauſa arguebatur, iiſdem ſe cum grauitate ornans belli tempore obitis legationibus, & factis in ipſius ſententiam plebiſcitis.

Non multum autem à ſuperioribus aliena, oppoſitionis ratio neſcio quid leporis, ac uenuſtatis habet; cum ſcilicet contrarium eius, quod ſibi criminis loco obiicitur turpe aliquis & flagitioſum eſſe oſtendit; ſicuti Licurgus Athenis, cum ei quod calumniatorem quendã pecunia ad ſuas conditiones perduxiſſet, crimini daretur;

» Quid tum ait? qualem me ciuem ducitis, qui
» tanto iam temporis interuallo res apud uos pu
» blicas adminiſtrans dare potius iniuſtè, quàm
» accipere ſim compertus?

Atq; etiam Cicero, dicente contra ipſum Metello,

tello, plures eum teſtimonio ſuo perdidiſſe, quàm patrocinio conſeruaſſet;

„ Quis uero negat, inquit plus fidei in me, quàm
„ eloquentiæ ineſſe?

Eiuſdem ferè generis ſunt illa Demoſthenis.

„ Quis me iure non interemiſſet, ſi quid tentaſ-
„ ſem de priſtina Reip. dignitate & gloria ora-
„ tione modo detrahere?

Item.

„ Quid cenſetis dicturos fuiſſe improbos iſtos
„ homines, ſi tum me omni ſtudio ad has res in-
„ cumbente, ciuitates alienatæ eſſent?

Atque (ut uerbo dicam) paſsim in oratione de corona, dum crimina contrariis refellit, & diluit; ſuas ipſe laudes ſcite, & apposite interiicit, Atqui illud quoque operæpretium eſt in illa oratione animaduertere, quòd, dum ſermoni, quem de ſe ipſo habet, auditorum laudem aptiſsime admiſcet, ab omni ſe inuidia reddit, omnique arrogantiæ ſuſpicione tutum.

„ Quales ſe Euboenſibus Athenienſes præbue-
„ re? Quales Thebanis? Quanta in Bizantios,
„ & Cherſonenſes beneficia contulerunt?

Se inquiens adminiſtrationis participem fuiſſe: imprudentes enim hoc modo auditores,

propriis illecti, eius qui uerba facit, laudes
unà connexas libenter admittunt, & magno-
pere lætantur ſuorum laudabilium facinorũ
commemoratione; lætitiam uero conſequitur
ſtatim, ut eos admirentur, & ualde ament, qui
bus auctoribus illa confecerunt. Quamobrẽ
etiam Epaminondas, cum aliquando à Mene-
clida illuderetur, quaſi plus ipſe ſibi, quàm Aga
memnon, arrogaret.

» Veſtro quidem beneficio, inquit Thebani, qui
» bus cum ſolis uno die Lacedæmonum diſſolui
» imperium.

Sed quoniam eum, qui ſe ipſum laudat, oppu-
gnant plerique & difficillime ferunt; eum ue-
ro, qui alterum, non item; quinimmo iucun-
de plerunque audiunt, dantque ei alacri animo
eiuſdem rei teſtimonium: icciрco conſueue-
runt nonnulli eos in tempore laudando, qui
eadem, quæ ipſi, agunt & ſectantur, & iiſdem
denique ſunt moribus, auditorum animos col
ligere, & ad ſe conuertere: quamuis enim ſer
mo de alio habeatur, continuo tamen ob ſimi-
litudinem uirtutis illis ipſis eſſe dignam laudi-
bus eius, qui dicit, uirtutem agnoſcunt. nam
ſicuti, qui quod in ipſo eſt, id in altero uitium

reprehendit, ſe ipſum accuſare magis, quàm illum, planè dignoſcitur; ſimiliter boni, dum bonos honore proſequũtur; ad ſui memoriã eos excitant, qui ſunt ipſorum uirtutis conſcii: ut etiam ſtatim exclament.

„ Nonne tu huiuſmodi?

Itaque Alexander, dum Herculem honorat; dumque Alexandrum rurſus Androcopus; propter ſimilitudinem; ut ipſi etiam honorarentur, aſſequuti ſunt. Contra Dionyſius dũ Gelonem irridet, & Gelota, ideſt riſum Siciliæ, appellat, imprudens quodammodo præ inuidia auctoritatem, & magnitudinem potentiæ ſuæ penitus euertit. Hæc igitur debet homo politicus tum ſcire in primis, tum etiam euitare: ſed ſi quem neceſsitas cogat, ut ſe ipſum laudet, hunc ſanè illud reddit minus moleſtum, ſi ſibi non omnia uendicet, ſed gloriæ, quaſi grauioribus cuiuſdam oneris, partem fortunæ, partem Deo tribuat: Ideoque recte Achilles.

„ Poſteaquàm conceſsit Deus, ut hominem domuerim.

Præclare etiam Timoleon, qui ob res proſpere geſtas Syracuſis aram fortunæ ædificauit,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ac bono Dæmoni domum conſecrauit. optime uero Python Aenius, qui Coty interfecto, cum Athenas rediiſſet, & concionatores certatim laudibus eum coram populo ad cælum ferrent, inuidere aliquos intelligens, atque id moleſte ferre, in medium prodiit; &.
" Hęc, inquit, Athenienſes, Deus aliquis con-
" fecit; nos manus tantum commodauimus.
Sylla quoque fortunam ubique cum laudaret, inuidiam reprimebat; & felicem demum ſe ipſe appellauit: malunt enim homines fortuna, quàm uirtute uinci, alienum bonum, & externum alterum iudicantes, alterum uero proprium, & domeſticum peccatum. Quare maxime placuiſſe ferunt locrenſibus Taleuci legum ferendarum rationem, quòd Mineruã diceret ſe ſe ei frequentíſsime in conſpectum dare, ac leges dictare, & explanare; ſe uero nec excogitare quicquam, nec de uoluntate, aut conſilio ſuo legem ullam ferri. uerum hæc quaſi medicamenta & leuationes eorum cauſa fortaſſe comminiſci oportet, qui difficiles planè ſunt, & inuidi: apud moderatos uero homines nihil abſurdum fuerit, laudum correctionibus uti; nimirum ita, ut iubeas, ſiquis eloquentiæ

quentiæ tibi, aut diuitiarum, aut potentiæ laudem tribuat; ne ea de te prædicet; ſed probitatem potius commendet tuã, innocentiamque ac frugalitatem: nec enim laudem profert qui id facit, ſed commutat, neque uidetur iis, qui ipſum laudant admodum delectari ſed potius, quod minus apte, ac decore laudetur, indignari, atque peiora melioribus obtegere: idque non quod laudari cupiat, ſed ut laudandi rationem, ac modum doceat. Huc ſpectare quodammodo uidetur illud Demoſthenis.
„ Non lapideo cinxi ego muro ciuitatem, nec
„ lateritio; ſed, ſi meam muri conſtructionem
„ conſideraueris; arma, equos, & ſocios inuenies.

Atque etiam multo magis illud Periclis: cum enim lamentarentur, ac lugerent; ut par eſt, dum ille morbo urgeretur; & etiam decederet; eius neceſſarii mentionem de facultate ſua, de exercitibus, quibus præfuerat, de omnibus demũ, quæ Athenienſibus trophea, uictorias, & urbes acquiſierat, faciebant: tum hic parumper ſe erigens, eos reprehẽdit, quòd laudes communes multis, atque adeo fortunæ ipſius quaſdam potius, quàm uirtutis pro-

prias,

prias enumerarent: quæ uero cum pulcherrima, & maxima, tum propria erat ipſius, eam prætermitterent; quòd ſcilicet ueſtem eius cauſa nemo unquam Athenienſium mutaſſet. quod quidem exemplum documento eſſe poteſt tum oratori, ſi probus ſit; quo tempore ob dicendi facultatem laudatur ut laudem trãſferat in uitam, ac mores; tum imperatori, cum admirationi eſt hominibus propter ſcientiam rei militaris, & felicitatem; ut de humanitate ac iuſtitia ſua libere loquatur: contraque cum incredibiles quædam laudes ei tribuuntur (vt ſolent permulti adulandi cauſa maxime inuidioſa iactare) vt dicat.

» Nemo equidem ſum Deorum. cur me immortalium ſimilem facis? at ſi me recte noſti lauda, quæſo, integritatem meam, uel temperantiam, uel humanitatem, uel gratum animum.

Inuidia enim ei, qui maiora repudiat, minora haud grauate concedit; nec illos uera laude priuat, qui falſas, & uanas minime recipiunt. Quare ex tribus eos, qui nec Dii, nec Deorum filii nuncupari uolunt; ſed contenti ſunt, ſi Philadelphi, Philometores benefici Pijve cognomento appellentur: æquo animo omnes

nes honeſtiſsimis quidem illis humanis tamen appellationibus honorant. pariter ex ſcriptoribus & oratoribus, ſicuti eos ægre ſuſtinemus, qui inſigni ſapientiæ titulo ſe ſe ornant; ſic illis delectamur, qui philoſophari, aut proficere, aut aliquid huiuſmodi ab inuidia alienũ ac moderatum de ſe dicunt. ſed Rhetorici Sophiſtæ, qui in ſuis declamationibus, Diuinitus, excellẽter, & huiuſmodi titulos admittunt; illos etiam modeſte, humane ſimul perdunt: Atqui uelut ij, qui cauent, ne eos moleſtia afficiant, qui ex oculis laborant; rebus nimis lucidis umbram quandam admiſcent; haud ſecus aliqui ſuas ipſorum laudes non lucidas prorſus, neq; omnino puras proferẽtes, ſed leues ac minutos quoſdam errores, aut offenſiones, aut peccata interſerentes omne à ſe remouent odium, omnéq; inuidiam; quemadmodum Epæus, qui dum ſe de arte pugilum immoderate & inſolenter iactaret, ut etiã diceret corpus ſe aduerſarij planè perfracturum.

„ Non ne ſatis, ait, quod à prelio me abſtineo?

Sed hic fortaſſe ridiculus, qui athleticam arrogãtiam timiditatis, & ignauiæ confeſsione ſubleuaret. is uero ſcite ac uenuſte facit, qui ali-

quod memoriæ erratum,aut inſcitiam,aut ambitionem,aut diſciplinarum quorundam, ſermonumve audiendorum cupiditatem contra ſe ipſum profert:ut Vliſſes.

„ Sed animus meus cupiebat audire, meq; ut ſol
„ uerent, iubebam ſocijs ſupercilijs annuens.

Itemque.

„ Sed ego non parui, certè multo melius fuiſſet;
„ ut uiderem hominem, & ab eo hoſpitalia do-
„ na acciperem.

Atq;(ut ſemeldicam)quicũq; haud ita turpes nec prorſus illiberales errores, laudibus interpoſiti, inuidiam remouent. Multi præterea & paupertatis, & modicæ experientiæ atq; mehercule etiam ignobilitatis confeſsionem laudibus interijciendo,leuiore perſępe inuidia flagrant;ut Agathocles,qui,cum aurea, & cælata pocula iuuenibus quibuſdã propinaret, iuſsit fictilia etiam afferri:&c.

„ Hoc efficit,inquit,aſsiduitas, laboris ſtudium,
„ ac fortitudo nos olim hęc, nunc uero illa
„ facimus?

Conſtabat enim fuiſſe Agathoclẽ, propter obſcuritatem generis,ac paupertatem,in figlina enutritum,qui poſtea ſiciliæ prope uniuer-

ſæ

ſæ imperauit. Atq; hæc ferè poſſunt extrinſecus afferri ſui prædicationis medicaméta. ſunt autem alia quædam in his ipſis, qui ſe laudant, inſita quodammodo: quibus uti etiam Cato ſolebat, dicens eam ob cauſam ſibi inuideri, quia proprijs rebus poſt habitis pro patriæ cómodis noctes totas uigilabat. Atq; illud.

„ Quomodo prudens ego exiſtimer, cui licebat
„ procul à negocij in priuatorum militum nu-
„ mero uiuenti, æqualé cũ ſapientiſsimo quoq;
„ fortunæ partem ferre.

Et.

„ Piget me, ſuperiorum laborum gratiam effun-
„ dere: & labores, qui occurrunt atq; incidunt,
„ non recuſo.

Sicut enim domum ac prædium, ita uirtuté & gloriam pleriq; illis inuident, qui eam gratis, & nullo negocio uidentur obtinere; non illis, qui multis eam laboribus, & periculis compararunt. Quoniam uero prouidendum eſt, ut non modo ſine inuidia, ac moleſtia, uerum etiã ɯɯoɔode, atq; utiliter laudes noſtras proferamus, ut ne id ipſum, ſed aliud quippiam agere hac ſpecie uideamur: fieri id primum poteſt, ſi quis ideo ſe ipſum laudet, ut eos, qui audiunt,

excitet, atq; ad æmulationis & gloriç ſtudium inflammet;quemadmodũ Neſtor ſuas pugnas, & res fortiter geſtas prædicans, tum Patroclũ impulit, tum nouem præterea alios ad ſingulare certamẽ excitauit: quæ enim cohortatio nõ uerba tantum,ſed facta etiam ſecum affert, domeſticumq́; ſimul exemplum, & imitationem; ea uero animata eſt, ac uehementer mouet & impellit,atq; unà cum animi inductione,& propoſito agẽdi ſpem etiam inijcit, fore,ut ea nõ difficulter obtineantur,& tranſigãtur. Itaq; lacedemone canunt ſenum chori.

„ Fuimus quondam nos fortes iuuenes.

Puerorum uero.

„ At nos erimus multo fortiores.

Sed iuuenum.

„ Nos autem iam profecto ſumus: quòd ſi libet,
„ fac periculum.

Atq; ita belle ſanè, & eleganter legislator propinqua, ac domeſtica exempla iunioribus proponit,ab his,quæ iam confecta ſunt;petita. Iam uero nihilominus expedit aliquando perterrendi alicuius & reprimẽdi gratia, atq; etiã ut contumacem aliquem,& arrogantem humilem reddas,ac dicto audientẽ,ſuperbe aliquid

de

de ſe ipſo, & magnifice loqui: ut rurſus idem Neſtor.

„ Iam enim olim ego & cum præſtantioribus,
„ quàm uos ſitis, hominibus uerſatus ſum, nec
„ me illi unquam contempſerunt.

Ita etiam Alexandro dicebat Ariſtoteles, non ſolum ijs, qui multis imperarent, licere, magno animo eſſe, atque elato; ſed etiam illis qui uera de Dijs ſentirent immortalibus. Porrò autem aduerſus hoſtes & inimicos huiuſmodi quædam utilia fuerint.

„ Infelicium filij meo furori occurrunt.

Et, quod de perſarum Rege, qui Magnus dicebatur, Ageſilaum dixiſſe perhibent.

„ Quid uero me ille maior, niſi etiam iuſtior?

Et quod aduerſus Lacedemonas, qui thebanos obiurgabant, Epaminondam.

„ Nos quidem certe effecimus, ut ueſtram uos
„ breuiloquentiam deponeretis.

Verum hæc aduerſus hoſtes ualent, ut diximus, & inimicos: amicos autem & ciues, nō ſolum ſi audaces ſint & arrogantes, deprimere poſſumus, & reddere humiliores; ſed contra, ſi timidi ac uiles, eorum animum erigere, & confirmare iactatione loco, & tempore adhibita.

Si

Si quidem Cyrus in grauioribus duntaxat periculis, atq; in prælijs magnifice loquebatur, alibi profecto nunquam. & Antigonus minor, modeſtus alioqui uir, & minime elatus, in pugna nauali circa Coum amico cuidam dicenti.
„ Non ne uides, quanto plures ſint hoſtium na-
„ ues? me uero unum, reſpondit, quot nam earum opponis?

Id quod Homerum non præterijt, qui quidem Vlyſſem, cum eius ſocij ob Carybdis ſtrepitum, atque æſtum animis caderent, prudentiam ac fortitudinem ſuam commemorantem fecit.

„ Haud maius eſt id malum, quàm cum Cyclops
„ in ſpelunca nos concluſerat tenebroſa ualidis
„ uiribus: tamen etiam illinc me a uirtute, cõſilioque ac prudentia effugimus.

Nec enim hominis populariter, aut callide loquentis ea laus eſt, nec clamorẽ, plauſumve captantis, ſed eius, qui uirtutem, ac prudentiã ſuam quaſi ſpei, & fiduciæ pignus amicis præbeat. Nam periculoſis temporibus magnam uim ac momentum habent ad ſalutem conſequendam auctoritas & fides uiri, qui ſit dux peritus ac fortis. Quamuis autem laudi & gloriæ

alienæ

alienæ ſuam contra comparare non eſſe hominis politici, ſupra expoſitum ſit: tamen ubi alicuius laus maximis in rebus aberrãs, nocet, hominesq́; corrumpit, eorum ſtudium ad prauas actiones, ac peſsima inſtituta impellens, nõ eſt inutile, eam explodere, aut potius auditores ad meliora auertere, quantum ea inter ſe differãt declarando: acquieueris enim (opinor) & ſatis habueris, ſi pleroſq; uideas ſe ſe à uitio quod reprehendi ac uituperari ſentiant, libenter abſtinere: quòd ſi famam nãciſceretur improbitas, & his, qui intemperanter, & cupidè, & auare uiuunt, honos præterea, atq; exiſtimatio bona accederet; nemo profectò adeo felicis, ac fortis eſſet ingenij, quin ab ipſo uitio ſuperaretur: Quapropter debet homo politicus non hominum laudes, ſed rerum, ſi prauæ ſint, impugnare: peruertunt enim hæ laudes ac deprauant, & turpiſſimarum rerum, quaſi honeſtarum, imitandarũ ſtudium introducunt. optime autem redarguuntur, ſi ueras laudes iuxta apponas; quẽadmodũ Theodorus, tragædiarũ hiſtrio, fertur olim aduerſus ſatyrum comicum dixiſſe.

„ Non qui riſum mouet ſpectatoribus, ſed qui la-
„ crymas, & fletum exprimit; ſumma admiratio-

ne

„ ne dignus eſt.

Atq; etiam multo(opinor)rectius: ſi aduerſus hunc ipſum dicat uir ſapiens.

„ At non lacrymas quidem,bone uir,& fletũ mo
„ uere,graue eſt,ac præclarum; ſed curare ut ij,
„ qui flent ac lugent,flere & lugere deſinant.

Qui enim hoc modo ſe laudat,maxime prodeſt auditoribus, efficitq; ut iudicium commutet.Ita etiam aduerſus Theophraſti diſcipulorum turbam Zeno.

„ Illius quidem chorus maior eſt, inquit, meus
„ autem conſonantior.

Phocion item,ſtante adhuc, & florente leoſthene, ab oratoribus interrogatus, quo, ipſe unquam beneficio remp.affeciſſet.

„ Nullo ſcilicet,reſpondit, niſi quòd uos, me im
„ peratore, funebrem orationem habuiſtis pla
„ ne nullam, ſed in patrijs monumentis omnes,
„ quot quot uita exceſſere,ſunt ſepulti.

Scite etiam & eleganter admodum Crates contra illud.

„ Ea habeo,quæ comedi & intemperanter egi,
„ quibusve,dum libidini ſeruio, unà cum cupidi
„ ne ſum delectatus;

Ita ſcripſit.

Ea

„ Ea habeo, quæ didici, & meditatus ſum, quæq;
„ unà cum Muſis grauia, & ſeria animo uerſaui.

Pulchra eſt enim huiuſmodi laus, & fructuoſa, quippe quæ docet, utilia, ac ſalutaria uanis, atque manibus præferre, & potiora ducere. Quare hoc etiam inter ea, quæ dicta ſunt ad propoſitum quæſtionis, quam poſuimus, referatur. Reliquum eſt nunc, ratione ipſa & ordine adhortante, idq; poſtulante, ut declaremus, qua ratione effugere quiſpiam poſsit, ne ſe ipſum intempeſtiue laudet: patet enim manifeſto, ſtudium de ſe prædicãdi, quippe quod habeat ſui ipſius amorem, quaſi magnum quoddam incitamentum, uel eos, qui modice planè uidentur gloriæ cupidi, inuadere plerunq;, atque occupare. Quemadmodum igitur ex præceptis, quæ ad ualetudinem tuẽdam pertinẽt, unum illud eſt, ut loca peſtilentia omnino fugiamus, aut certe, ſi in ijs ſimus, ut diligentius nobis caueamus; ſic habet, quæ quidem euitari debent, ſui prædicatio lubricas quaſdam occaſiones, & orationes, quæ te in eam quacunq; ſpecie trahant. Primum, dum alij laudantur, ambitio (ut iam diximus) ſui prædicationem facile educit; ambitionem uero ipſam, punctã

E quo-

quodammodo,& quadam quaſi titillatione irritatam,apprehēdit,occupatq; effrenata quædam,& uehemens gloriæ auiditas,ſi præſertim de rebus paribus, aut inferioribus etiā, quàm ſuæ ſint, alter collaudetur. ueluti enim eorum, qui eſuriunt, fames magis acuitur,& irritatur, ſi alios comedentes aſpiciāt; ſimiliter eos, qui ſunt gloriæ præter modum cupidi, æmulatione quadam incendit uicini collaudatio. Secundo loco rerum feliciter, & ex ſententia geſtarum narrationes in iactationem atq; animi elationem quàmplurimos prægaudio inducunt, & quidem inſcientes:dum enim eò deueniūt, ut uictorias quaſdam ſuas, & præclaras rerum publicarum adminiſtrationes, aut certe ab ipſorum ducibus ſumme probatas actiones & orationes exponant;tranſiliunt prorſus continentiæ,ac modeſtiæ fines: cui iactationis generi uidere licet nauticum in primis & militare hominum genus affine eſſe. Vſu etiam uenit, ut qui ex locis illuſtribus, & maximis negocijs reuertuntur, aperte in hoc uitium incurrant: etenim dum illuſtrium principumq; uirorum mentionem faciunt, quaſdam ab illis in ſe collatas laudes implicant, atq; immiſcendo, neq;

arbi-

arbitrantur,ſemetipſos laudare, ſed laudes ſibi ab alijs tributas referre. In ſumma ſibi perſuadent ij, cælare ſe auditores, dum Regum, atq; Imperatorum gratos complexus, lenes appellationes,atq; humanitatis plena in ſe officia cõmemorant,tanquam non proprias laudes perſequantur,ſed illorum benignitatis,& comitatis indicia proferant. Quamobrem in referendis aliorũ laudibus cauere diligentiſsime oportet,ut puros nos ipſos, atque ab omni prorſus noſtri prædicationis, & amoris ſuſpicione uacuos conſeruemus,nè ue uideamur per Patrocli ſpeciem(ut aiũt) nos met ipſos per eos collaudare. Verum illud quoque iactationis genus,quod ex aliorum uituperatione, & obiurgatione exiſtit, ualde periculoſum eſt, & gloriæ cupiditate laborantibus occaſiones digrediendi facile ſuppeditat: in quod incidunt maxime omnium ſenes,qui cum eò perducti fuerint,ut alios admoneant, ac prauos eorum mores & res male geſtas reprehẽdant;nimis inſolenter ſe ſe efferunt, quaſi ijſdem ipſi in rebus excellentes quidam uiri, & admirabiles extiterint.Poteſt igitur his,qui non ſolum ætate, ſed uirtute etiam,atq; auctoritate pollent, id qui-

dem iure concedi: maximæ enim alijs utilitati ſunt, atq; ijs, quos hoc modo corrigunt, æmulationem quandam, ac ueræ ſimul gloriæ cupiditatem inijciunt: Cæteri uero id generis digreſsiones fugere, ac timere magnopere debemus: cum enim per ſe moleſta ſit, & uix tolerabilis aliorum reprehenſio, magnamq; cautionem deſideret; qui propriam præterea laudē alienæ uituperationi admiſcet, ac ſibi ex alterius infamia gloriam quærit; is uero odioſus planè eſt, & omnibus offenſus, nempe qui uelit, per aliorum ignominiam boni uiri nomen aſſequi. Qua præterea ratione debent ij, qui ad riſum procliuiores & propenſiores natura ſunt, titillationes, & perfricationes fugere diligenter & cauere; quarum ui leuiſsimæ corporis partes labentes & diffluentes, eum mouēt, atq; euocant affectum; eadem ratione ijs, qui auidiores ſunt gloriæ, atq; in iactationem procliuius feruntur; commodè aliquis id conſilij dederit, ut, cum ab alijs laudātur, ſe ipſi ne laudent: decet enim pudorē adhibere eum, qui laudatur, non amouere: ac reprimere, & remorari eos, qui de ipſo aliquid ſublimius eloquū tur, non coarguere, quaſi non ſatis ipſum pro digni-

dignitate laudent: id quod faciunt permulti, qui quidem præter illa, quæ ab alijs dicuntur, ipſi quoq; præclaras quaſdã alias & egregias actiones ſuas ſuggerunt, atq; in medium proferunt, uſq; dum & laudem, quam ipſi de ſe afferunt, & eam præterea, qua ab alijs ornabantur, peruertant, & corrumpãt. Vnde fit ut alij blandientes, illos quaſi perfricent, & uentulũ faciant, alij aſtute, perinde atque eſcam quandam, parum aliquid laudis ſubijciant; atq; ita ſui prædicationem euocent: alij deniq; riſus mouendi cauſa eos interrogent, ac percunctentur. ueluti militem illum apud Menandrum:

„ Quomodo uulnus id accepiſti? Iaculo, quo- «
„ modo per Deos? dum ſcala in murum aſcende «
„ rem. Ego quidem oſtendo ex animo egiſſe: il- «
„ li cachinnos iterum ſuſtulere.

Eſt igitur in omnibus hiſce, quoad eius fieri poteſt, maxime cauendum, ne, cum alii nos laudant, in proprias laudes delabamur, nè ue aliorum interrogationibus noſmetipſos dedamus. Summa uero, & abſolutiſsima omnium cautio eſt, & obſeruatio, ut alijs, qui ſe ipſos laudant, animum adhibeamus, & nobiſcum reputemus, grauiſsimum id accidere omnibus,

ac permoleſtum, nec ullum alium ſermonē reperiri, qui æque grauis ſit, aut æque odioſus: nam, etiam ſi nihil habeamus dicere, quonam ab illis, qui ſe ſe laudant, incommodo afficiamur: tamen quaſi natura ipſa rem hanc grauiter ferentes, ac reſpuentes, ualde ſtudemus liberari ab ea, & reſpirare. quandoquidem adulatores etiam, paraſiti, & pauperes diuitem aliquem uirum, aut Satrapam, aut Regem, qui ſe ſe iactet, quamuis eorum ope indigeant, tamē ægrè ferunt, & moleſte ſuſtinēt; dicuntq; ſymbola hæc ſe maxima perſoluere. ueluti ille apud Menandrum;

„ Enecat me: macer fio, dum conuiuor. Dictā "
„ mehercle ſapiente uiro & imperatore digna: "
„ ut arrogans eſt improbus homo. "

Hæc igitur cum proferre, ac dicere conſue" uerimus non modo aduerſus milites, atq; eos, qui diuites repente euaſere; qui quidem ſplendida quædam & magnifica de ſe ipſis effundant; ſed etiam aduerſus ſophiſtas, & philoſophos, & imperatores, qui inſolenter ſe efferāt, ac nimis glorientur: ſi illud in memoriam reuocauerimus, proprias laudes aliorum ſemper ſubſequi uituperationem, atq; inanis huiuſce

iacta-

iactationis finem eſſe infamiam, ac demũ eos, qui de ſe prædicant, hoc proficere (quemadmodum ait Demoſthenes) ut auditores moleſtia afficiant, non ut tales ipſi habeantur, quales uideri uolunt. id inquam ſi meminerimus propriam certe laudationem nunquàm attingemus, niſi magnam aliquam ſimus uel nobis ipſis, uel his, qui audiunt, utilitatẽ allaturi.

Finis Plutarchi Libelli.

LAVDATIO FERDINANDI GONZAGAE MELFICTAE PRINCIPIS, ET ARRIANI DVCIS,

A IVLIO GABRIELIO EVGVBINO SCRIPTA.

ANtiquiſsimum inſtitutũ eſt, Proceres, ut pręſtantium, ac fortium uirorũ obitus laudatione aliqua celebrentur, laudandum ſanè inſtitutum, & maxime utile: quorum enim uita longe illuſtris, fructuoſaq; fuit, uidetur ijs uel mortuis omne planè honoris genus tribuẽdum eſſe; & uero uiui hoc exemplo ad illorum uirtutem imitandam magnopere excitantur, dum intelligunt egregia facta etiam poſt mortem commendari: nam ſi, quibus uitæ ſpacium circunſcribitur, eiſdem fama terminis contineretur, nemo fermè eſſet, qui uirtutibus admodum ſe dederet, labores immenſos ſuſciperet, & pericula maxima ſubiret. Quare ſapienter omnino ab his, quorum intererat, cura adhibita eſt, ut Ferdinandi Gonzagę funus uete-

ri,uſitatoq; honore minime careret; cuius uirtuti eximiæ, ac ſingulari fortitudini noui etiã, atq; inuſitati deberentur. In eo fortaſſe uideri poſsint parum perſpexiſſe, quòd hanc prouinciam mihi impoſuerunt, qui quidem minime aptus ſum ad eam ſuſtinendam, atq; tuendam tum propter ingenij, doctrinæq; imbecillitatem, & exiguum dicendi uſum, tum etiam ob dolorem, quem profecto non mediocrem cepi: cum enim me totum, quantuſcunq; ſim aut eſſe unquam poſsim familiæ huic ampliſsimæ & maxime illuſtri iam dederim, communem mihi quoq; ex aliqua parte hanc grauiſsimam ipſius cladem eſſe ſtatuo. quod cum ſentirem, & mecum ipſe reputarem, quantam ubertatẽ ingenij, quantam dicendi copiam, quantã animi conſtantiam, & mentis integritatẽ id muneris poſtularet; non deſtiti onus recuſare, & reijcere; ſed, cum uehementius inſtarent, atque urgerent hi, quorum ego cauſa omnia uelle debeo; ceſsi poſtremo, ac recepi, illud me ſuſcepturum eſſe, non tam ſpe perficiẽdi, quàm obſequendi uoluntate, & pudore diutius recuſandi. Quis enim ſperet, ſe poſſe, unius præſertim horæ ſpacio, tanti, taliſq; uiri laudes nõ di-

co

co oratione exprimere,ſed omnino cogitatione complecti?id tamen nonnihil me cõſolatur, quòd pleriſq; eorum,qui adſunt, ſcio cognitã & perſpectam eſſe ipſius uitam, & res præclariſsime geſtas;ut non tam explicãda mihi ſint omnia,quàm attingenda quædam, & ad memoriam breuiter reuocanda. quod dum facere conor,quæſo uos, Auditores, ut diligenter attendatis:etenim ſpero,ea me allaturum,quæ poſsint uobis & uirtutum omnium pulcherrima exempla ſuppeditare, & conſolationem aliquam doloris afferre, quem quidẽ merito quilibet ueſtrum tum uultu, tum ueſte maximum præ ſe fert. Solent ij, qui aliquem ſibi laudandum proponunt, multum operæ ac temporis in eo primùm conſumere, ut illius antiquitatẽ generis iam inde ab incunabulis repetentes in cælum extollant; rationem mehercle haud inanem ſequuti: nam quemadmodum in arboribus ineſt plerunq; uis ſeminum, ex quibus procreatæ ſunt,& in equis ſeruatur quædam ſobolis celeritas, uel ferocitas; ita etiam ueriſimile eſt,in hominibus fieri,ut,(quomodo dicitur.) fortes creentur fortibus. ueruntamen hoc fallit nonnunquam,& nobilitas certe quidem in

bonis externis numeratur; uera autem ac ſolida laus non aliunde, quàm ex ſe ipſo, & ex animi bonis petenda eſt. Quare iſtam nos orationis partem conſulto, atq; etiam neceſſario prætermittemus; quandoquidem ex gente Gonzagia, uelut ex generoſa, & fertiliſsima ſtirpe; tot uiri per ſingulas ætates tum pace, tũ bello præſtantiſsimi prodiere; quibus referti ſunt annales; ut eorum quiſq; uix propria, & longa oratione ſatis laudari poſsit. quod cum ita ſe habeat, noſter is tamen Ferdinandus adeo fortitudine, conſilio, gloria, dignitate excelluit, ut non tantum ſplendoris à cũctis ſuis maioribus accepiſſe, quantum eis ipſe ſolus adiunxiſſe uideatur. Ad ea igitur accedamus, quæ ſunt ipſius magis propria. Ac primum nihil forſitan abſurdum fuerit, formam corporis, qualis eſſet, conſiderare, ut poſsimus animi pulchritudinem quæ non ita ſub oculis poſita eſt, facilius agnoſcere: etenim uidetur natura in eo quoq; ſolicita eſſe, ut congruens cuique, & aptũ corpus elaboret; quod certe in Ferdinãdo eiusq; fratribus belliſsime præſtitit: cum enim omnes egregia oris figura, habituq; formauit, tum uero, quaſi præſagiret, quam quisq; eorum perſonam,

ſonam, quosve honoris gradus geſturus eſſet, ſingulis proprij quiddam ita affinxit, ut primũ quidem, qui Mantuæ Dux futurus erat (tres enim, ut ſcitis, fuere germani fratres) facile diceres ad populos moderandos natum eſſe, ad leges ferendas, pacem cuſtodiendam, felicitatem deniq; ciuium optime conſeruandam; ſecundum uero, qui ſuperſtes eſt, utq; quàm diutiſsime ſit, debemus omnes à Deo ſummis precibus, ac uótis petere, ad maxima, & ſanctiſsima ſacerdotia, quibus erat præfuturus, ſuſtinẽda procreatum, ad fidem, pietatem, religionẽ, & Chriſtianæ reipub. maieſtatem conſtantiſsime tuendam; tertium autem, eum inquam, cuius gratia hæc inſtituta eſt oratio, ad ſumma imperia gerenda ortum, atq; factum, ad rem bellicam adminiſtrandam, ad protegendos ſocios, ad hoſtes profligandos, ad uictorias, ad triumphos. Sed quid hac de re plura? nemo ueſtrum (opinor) iſtorum Heroũ ſpeciem, ac dignitatem formæ non eſt perſæpe cõtemplatus, atq; admiratus. ego quidem de Ferdinando audiui quendam non ignobilem pictorem cum diceret, quoties ſibi Mars in aliqua tabula (quemadmodum fit) pingendus eſſet, eo ſe

consilio

conſilio uſum,ut huius, quaſi alterius Martis, imaginem,quanto ſimilius poſſet exprimeret, itaq; conſequutum fuiſſe, ut ipſius opera ex illa parte mirifice probarentur. Corpori autem tam affabre,egregieq; formato, animum,atq; ingenium ſanè quàm acre, & uehemens inſitũ fuit.quod quidẽ ipſe haud paſſus eſt per ociũ, aut negligentiam obtundi,& languere,ſed tanto ſtudio, cura, labore excoluit, ut eos, quos deinde dicemus,fructus ediderit. Nam cum à pueritia,& naturam ducem ſequutus, & patrũ ſuorum exemplo,gloriaq; incitatus,rei militaris ſtudium adamauiſſet,artis nimirum omniũ præſtabiliſsimæ & maxime glorioſæ; Mantuæ uſq; ad decimum ſeptimum ætatis annum ita fuit, ut equitãdo,gladio,telo,haſta, quocunq; demum armorum genere utẽdo, æquales atq; etiam maiores natu facile ſuperaret. quibus tamen erat mirum in modum charus, & iucundus ob eximiam facilitatem ac liberalitatem: uictoriam enim, & præſtantiam fortitudinis diſsimulabat potius,quàm oſtentaret, cunctiſque communem ſe præbebat,&, quæcunq; poterat, libentiſsime ſemper commodabat,gratificabatur,condonabat. Deinde uero de ſuorum

rum

rum omnium ſententia decretum eſt, ut in Hiſpaniam ad Carolum. V. ſe ſe conferret, atque ei totum ſe traderet, idque auctore matre ſua, Iſabella Ateſtini generis præſtantiſsima fæmina. quo in conſilio capiendo ſummum illa quidem iudicium, & ſingularem prudentiam, quã habebat uirtutum, atq; omnium ſuarum actionum moderatricem, commodiſsime explicauit. Illuc igitur profectus magnam uel ipſa elegantia, & dignitate aſpectus admirationẽ ſui, expectationemq; commouit, ſed multo maiorem uiuendi ratione, & modo: ſi quidem uitã inſtituit honeſtiſsimã, ſeq; & ſuis digniſsimã; ociũ maxime oderat, labores cupide ſuſcipiebat, ſemper aliquid graue aut cogitare, aut agere cernebatur: inferiores minime deſpicere, pares omnibus officijs proſequi, cum ſuperioribus tamen ac præſtantioribus libentius eſſe, his ſe dedere, hos ſectari, obſeruare, imitari. Quæ uero antea didicerat militaria officia, ea iam non ſolum ſub umbra, uerum etiam in puluere tanto ſtudio, atq; arte obibat, ut nullius præceptis amplius, aut diſciplina indigeret: nemo eo libentius galeam ferre, cũ lorica ambulare, ſcuto uti, nemo peritius iaculum proijcere,

cere, enſem tractare, modo peditẽ, modo equitem agere, nemo alacrius haſta cum cataphractis equitibus (ut moris eſt) cõcurrere: in quo quidem genere pugnæ multum & robore, & arte pollebat. Linguam uero hiſpanam, atque etiam gallicam perpaucis menſibus ita percepit, ut eis, tãquam patrijs, ſcite, ac uenuſte uteretur. Quibus rebus omnibus ſummorum uirorum beneuolentiam, & in primis ipſius Cæſaris gratiam, ac ſtudium breui ſibi comparauit, & ſpem certiſsimã dedit, fore, ut egregius imperator exiſteret. Itaq; tres circiter poſt annos, cum id ipſe cupidiſsime peteret, geſtiens iandudum cum hoſtibus in acie uim ſuam experiri, in Italiam mittitur, eo tẽpore, quo Borbonius cum Cæſarianis copijs erat ad Regiũ lepidi: quæ quidem copię non multo poſt eius aduentum Romam cũ inuaſiſſent, ac diripuiſſent; ipſe profecto nec prædæ, nec cædi, nec ulli facinori deditus hoc unum egit, diligentiſsimeq; præſtitit, ut Iſabellam matrem ſuam, talem, qualem ſupra indicauimus, fœminã, quæ id temporis in urbe erat; unà cũ alijs quibuſdã primarijs, & honeſtiſsimis matronis ab omni periculo, atq; iniuria militum tutiſsimam ſeruaret.

uaret. O laudabilem aditum ad militiam, præſertim in iuuene, coniunctum cum ſumma cõtinẽtia, pietate, religione, prudẽtia. Deinceps in bello Neapolitano, quod eſt à Gallis, Lotrechio duce, paucos poſt menſes magno apparatu terra, mariq; illatum, incredibili ad uictoriã adiumento, ac præſidio fuit: dies enim nullus erat, quin ille cum delecta militũ manu ad inimicos exagitandos, atq; uexandos prodiret; & quidem adeo promptum ad decertandum ſe præbuit, adeo diligentem in commeatu ſuorum expediendo, aduerſariorum autem intercipiendo, adeo in inſidijs uel collocandis, uel euitandis uerſutum, atq; ſolertem, ut fama eſſet minime dubia, Neapolim, amœniſsimam, & ſplendidiſsimam ciuitatem, acerrima illa obſidione per eum maxima ex parte liberatam, & hoſtes profligatos eſſe: idq; medius fidius tãto ipſius diſcrimine, & uitæ periculo, ut quadam in pugna coactus fuerit ab alta, ac prærupta crepidine ſe ſe deijcere, & per medios hoſtes armis exitum ſibi, ac ſalutem quærere. cuius operam, fortitudinem, labores, pericula recte perpendens Philibertus Aurãtius, cuius ſummum erat eo tempore in Cæſarianos im-

perium, merito ei confecto bello, Arrianum, & reliqua eiuſdem imperij oppida donāda eē fuit. quod quidem iudicium Cæſar facile ratū habuit, ipſumq; Ferdinandum illius ciuitatis Ducem appellauit. Cui dignitati alia nec mediocris poſterius acceſsit, Melfictæ urbis Principatus: uxorem enim duxit illius ditionis Principem, Iſabellam, è Capuana familia natam, uetuſtiſsima illa quidem, & iampridem illuſtri, ſed per ipſam magis etiam illuſtrata, & longe in poſterum propagata: cum præſertim ex ea Ferd. (ut ſcitis) ſex filios, ſummæ ſpei adoleſcētes, ſuperſtites reliquerit, & nuptam iam filiā, non minus pudicitia quam pulchritudine inſignem. Poſt hæc uero in bello quod à Cæſarianis contra florentinos geſtum eſt, quanta ſuſtinuerit, geſſerit, confecerit, longum eſſet enarrare: Illud maximum ſit egregiæ eius uirtutis, ac fortitudinis argumentum, quòd cum Aurātius in prælio ad Gabinianum cecidiſſet, quāuis non deeſſent alij in caſtris præſtantiſsimi uiri, ipſe tamen omnium conſenſu exercitus imperator delectus eſt; iudicio ſanè optimo, ac feliciſsimo: factum eſt enim eius cōſilio, cura, induſtria, uigilantia, ut perpaucorum menſium

ſium interuallo fractis, domitiſq; fortiſsimis, atq; acerrimis Florentinorum ciuium animis urbs totius Hetruriæ florentiſsima, & pulcherrima, ad Cæſaris arbitrium, ac poteſtatem deueniret; & integra illa quidem, atq; incolumis, quemadmodũ Cæſar ipſe, & Clemens Pont. Max. in primis optabant. quibus rebus ex ſententia conſtitutis magnã ab utroq; eorum gratiam iniuit; atq; ei Pontifex Beneuentum uetus municipium, Gubernatoris nomine utendum, ac poſsidendum tradidit: Cæſar uero aliquanto póſt ampliſsima Velleris aurei dignitate eum cohoneſtauit; quæ quidem nõ niſi maxime illuſtribus uiris, ſpectatæq́; fidei, ac uirtutis tribui ſolet, atq; ille ipſe tornaci in celeberrimo ſummorum principum conuentu honeſtiſsimi illius ordinis inſignibus ornauit. Noli te hoc loco expectare, ut ordine uobis ſingulos gradus honoris explicem, quos Ferd. pro ſua rariſsima uirtute, probitate, cõſtantia adeptus eſt; ne dũ res omnes perſequar, quas præclare fecit: id enim nõ unius orationis ẽ opus, ſed iuſtæ propemodũ hiſtoriæ. Quare ijs prætermiſsis, quæ ad Viẽnam, ad Tunetũ, ad Preueſam, ad Algeriũ cõtra Turcas geſsit, quæq́;

in Prouincia contra Gallos; ad propinquiora deſcendam, ſi prius tamen pulcherrimũ quoddam facinus, in bello tunetano ab ipſo editũ, commemorauero: id enim eſt adeo inſigne, ut præteriri nullo modo debeat. In eo igitur prę lio, quod prope Tunetum ab hinc annos circiter duo & uiginti à noſtris feliciter cum Barbaris commiſſum eſt; cum magnæ utrinq; copiæ eſſent inſtructæ, Ferdinandus, quòd nullũ ea die certũ munus ſuſtineret, in primo equitum ordine alacer, promptusq́; ad dimicandũ conſtiterat. tuba ſignum pugnæ datur: ſine mora concurritur; ipſe omnium primus impetum facit; præſtantem Afrorum ducem haſta transfigit; ſtrictoq́; gladio crebris ictibus aduerſos cædit, fugat, fundit, totam deniq; hoſtium aciem ita perturbat, ut aditum ſuis ad uictoriam, quæ mox glorioſa, & lætiſsima illuxit, facilem aperiret. Quod nam, Dij boni, factum noſtræ memoriæ cum hoc comparandum eſt? aut cui nam antiquorum temporum id recte conferri non poteſt? Itaq; Cæſar, qui fuerat illius excelſi, atq; inuicti animi non ſolum ſpectator ſed etiam laudator, quotidie ipſius uirtuti plus tribuebat; atq; eo ipſo anno, inde ſe
in

in Italiam cum recepiſſet, eum Siciliæ Proregem conſtituit, ſumma cum gratulatione prouincialium. quam quidem prouinciam decennium amplius tanta prudentia gubernauit, ut & Siculorum commodis, & Cæſaris dignitati, & ſuæ ipſius exiſtimationi cumulate ſatisfecerit. Quæ res cum omnium difficillima eſſe ſoleat, ipſi quidem haud ita difficilis fuit, quippe qui iudicio, atq; uſu plurimum ualeret, & nihil ad proprium emolumentum, omnia ad honeſtatem, & ad eorum, quibus præerat, commodum referret, nunquam eum auaritia ad quæſtum impulit; non amor, uel odium ad iniuſtitiam; non iracundia ad temeritatem; non ambitio ad inconſtantiam; non cupiditas ad uoluptates; non deniq; labor ad ocium: in audiendo facilis, in iudicando æquus, in imperando ſine acerbitate grauis, in puniendo neq; nimis ſeuerus, neq; remiſſus. Erat ſcilicet natura ad ueniam dandam longe procliuior, quàm ad pœnam inferendam; ſed ubi lenitas & indulgentia ualde periculoſa eſſe uideretur, tum uero nihil prorſus loci præcibus erat, aut gratiæ, multoq; minus præmio, uel terrori. Ad quam rem oſtendendam illud ſatis fuerit, quòd, cum

multæ

multæ hiſpanorum cohortes, in Siciliam tranſuectæ, facta ſeceſsione, & ſuorum præfectorum, ipſiusq; Proregis imperio contempto, latronum more prædarentur, uicos diriperent, oppida occuparent, regionem exinanirent, ipſe ſummo conſilio, incredibiliq; prouidentia tantum incendij breui extinxit, auctores, & principes ſeditionis capitis ſupplicio afficiendos curauit, reliquos ad perpetuum exemplum ueræ rei militaris diſciplinæ ignominia notatos amandauit. Sociorũ Principes grauibus iniurijs & damnis irritati, ui rem eſſe gerendam dictitabant, id ut ſibi impune per ipſum liceret, uehementer expetebant. ille contra, qui conſideraret, hoc neq; ex ſua, neq; ex Cæſaris dignitate fore, ſimulq; pro ſpiceret, non poſſe cum ueteranis militibus, tum numero, tum robore, atq; audacia potentibus, ſine maxima cæde armis decertari; eos conſolari, monere, hortari, ut præſens incommodum, ne incidant in grauiora, æquo animo ferant: rationem ſe initurum, qua ſine dimicatione, & Cæſaris maieſtati, & ſociorum ſaluti recte conſulatur. id quod tanta ſolicitudine, cura, arte tranſegit, ut fidem etiam, quam dederat, & iuſiurandum,

ſiurandum, ſi res diligenter expendatur, belle ſeruarit. uidiſſes tum omnes ad unum prouinciales ad eius prætorium lætos accurrere, gratias agere, eundem liberorum coniugum, facultatum, ædium ſuarum cuſtodem, & conſeruatorem appellare: neq; uero Cæſar ipſius conſilium (uti debuit) non ſummopere probauit. nam cum importuniſsimi quidam homines conarentur, eum nimiæ acerbitatis nomine apud ipſum in inuidiam trahere, atq; adeo in iudicium uocare, tantum abfuit, ut id paſſus fuerit, ut etiam eum ualde commendauerit, & præmijs dignum iudicauerit. recens erat memoria maximi detrimẽti quo paulo ante Inſubria affecta fuerat ex ſimili quadam aliarum hiſpanarum cohortium contagione, & licentia: meminerat eorum populorum querimonias, nec ignorabat, quantum damni attuliſſet nimia in ſimili cauſa pœnæ remiſsio. Itaq; intelligebat, Ferdinandum, temporibus adductum, & neceſsitate compulſum iuſta ſeueritate uſum eſſe: quid enim faceret; ſineret prouinciam, ſuæ fidei commiſſam amicorum militum armis per impunitatem hoſtilem in modum deuaſtari? tantam Hiſpanorum licẽtiam, conſuetu-

dine

dine peccandi latius ſerpentem non reprimeret? non deſtitit primo per uiros ſummæ aucto ritatis eos monere, hortari, rogare, ut ab indigniſsimo teterrimoq; propoſito diſcederent, pollicitus fore, ut commeatum, & quæ ipſis debebantur, ſtipendia liberaliter acciperent. atqui ubi ſenſit, eos lenioribus medicamentis non poſſe ad ſanitatem reuocari; tum peritos imitatus medicos, qui grauioribus morbis, grauiores adhibent curationes, ad id, de quo diximus, remedium confugit. Solitus erat Ferd. (ut omnes norunt) Hiſpanorum nationi plurimum tribuere, quemadmodum animaduerterat Cæſari placere, amabat eorum acre ingenium, amplectebatur peritiam artis bellicæ, ſuperbiam uero & inſolentiam neque in ipſis, neque in alijs diutius ferre poterat, cum præſertim illam ad perniciem populorum, ipſiusq; infamiam redundaturam cognoſcebat. Atq; hæc de amicorum iniurijs propulſatis. Ab externis autem periculis ita libera fuit tota illa maritima ora, quandiu ei ipſe præfuit, ut nulla unquam hoſtium, aut prædonum nauis intra eam conſpecta fuerit. priuatorum opes, & fructus incolumes, publica uectigalia integerrima,

gerrima, pacata demum omnia, & tranquilla. ipſos uero inter ſe prouinciales, homines (ut leuiſsime dicam) minime quietos, iuſtitia, auctoritateq; ſua in officio ita continuit, ut non ſolum nouæ diſcordiæ, aut diſſenſiones nullæ exorirentur, ſed ueteres facile componerentur. Cæterum (quod ad diuturnitatem memoriæ magis pertinet) quibus monumentis eam prouinciam auxerit, atq; ornauerit, neminem ueſtrum ignorare exiſtimo. aquęductus inſtaurauit, oppidorum munitiones, quæ eſſent uel propter magnificẽtiam, uel propter opportunitatem portuum diligentius cuſtodienda; partim incohatas perfecit, partim fundauit, & extruxit: Panormi, Syracuſarum, Drepani, Mylarum, Meſſanæ: quam quidem præcipue ciuitatem pręter opinionem peritiſsimorum harum rerum artificum, qui illuc conuocati, & ab Hiſpania uſq; dedita opera miſsi fuerant; ita ſepſit, ac muniuit, firmiſsimo propugnaculo nõ longe à mœnibus adiecto, quod ab eo Gonzagium etiam nunc appellatur; ut nulla ui, nulla machina, nullis tormentis expugnari poſſe uideatur. quibus de cauſis tantum apud eos ſui nominis, ac uirtutis deſiderium reliquit, ut il-

lum poſtea ſummis officijs ſemper coluerint, & optimi patroni loco duxerint. Neque illud puto prætermittendum, quod hic mihi occurrit, quòd Mamertini eum ex prouincia decedentem memoriæ, atq; honoris gratia ingenti aureo torque donarunt. maximum fuit id profecto uirtutis, iuſtitiæ, integritatis ſignum: quotus enim quiſq; eſt, qui longiore tempore alicubi cum imperio maneat, quin plurimorũ odium in ſe concitet? quis nam, ſicut eiuſdem cibi, ita unius magiſtratus, aut gubernatoris ſacietate non afficitur? qui populi decedentes præfectos contumelijs, execrationibus, maledictis non inſectantur? nihil horum tum contigit. accedentem expectarunt: præſentem dilexerunt: proficiſcentem laudibus, præmijs, bonis precationibus ſunt proſequuti. At uero dum iſta prouinciæ præſidia, pacis, ſempiternæq; memoriæ monumenta pararet; ab externis bellis uacauit? nihil minus: nam Cæſar, uir perſpicaciſsimi ingenij, nihil ferè maioris momenti ſine illius opera, aut conſilio aggrediebatur. quamobrem cum per idem tempus, quo is adhuc Siciliæ gubernandæ præerat, de bello in Belgas, qui ab ipſius nomine defecerant,

rant,inferendo cogitaret;eum euocauit, & ſecundum ipſum,primum in omnes ſuas copias imperium obtinere uoluit. Iam dies me deficiat,ſi uelim omnia enumerare, quæ per eum tum illo, tum proximo anno prudenter excogitata, celeriterq́; perfecta fuere; quædam tamen leuiter attingam. Coacto igitur exercitu, & ad Bonnam Vbiorum oppidũ luſtrato, primo Duram peruentum eſt:atq; hæc urbs Sicãbrorum,muro,aggere,foſsis,& præſidio muni tiſsima, tanta contentione, tantaq́; celeritate expugnata fuit, ut & proxima eiuſdem ditionis oppida,metu perterrita ſponte ſua Cæſari ſe dediderint, nec multo poſt ipſe Sicambrorũ Dux Guilermus rebus ſuis diffidens ad eiuſdem clementiam, ac fidem confugerit. Aliquot poſt dies, cum Cæſar Canoui ualetudinis cauſa ſubſtitiſſet, Ferd. ipſius locum ſumma cum auctoritate tenens,ad Landreſium caſtra mouit,eoq́; rem deduxit, ut, ſi duces ſociorum uoluiſſent eius rectum conſilium audire, alterutrum conſequi neceſſe eſſet, ut uel oppidum obſidione caperetur, uel cum exercitu Gallorum,qui ſubſidio ueniebat, ſuperiore loco,& propè certa ſpe uictoriæ prælio dimica-

retur quemadmodum amiſſo iam tempore tum ipſe Cæſar,tum alij, rei bellicæ peritiſsimi uiri,iudicarunt. Sed hoc ei ſæpius fato neſcio quo uſuuenit, ut aliorum ducum, quos belli ſocios habebat, ſiue pertinacia, ſiue inuidia, rei bene gerendæ occaſio è manibus elaberetur accidit enim non ita raro, ut nonnulli ne uictoria quidem frui uelint,alieno conſilio par ta. hac igitur occaſione amiſſa, Cæſar, quòd iam hyems imminebat, in hyberna ſe contulit, ut idoneum tempus ad bellum perſequẽdum expectaret. Interim uero Ferdinandum in Bri tanniam ad Henricum Regem legat, ut eius animum ad bellum in Galliam totis uiribus in ferendum confirmet,atq; inflammet,& ſingula edoceat,quæ ex uſu eſſe arbitretur id quod tanto ſtudio,ac prudentia tranſegit,tantaq; uo luntate,& gratia illius regis,ut etiam ab eo pre tioſam elaborati argenti ſupellectilem, honoris,amoriſq; cauſa dono acceperit. Primo autem uere Cæſar ſuſceptum Galliæ inuadendæ conſilium explicat, multas equitum, & peditum copias conſcribit,cogit,inſpicit;iiſq; Ferdinandum ita præficit,ut illum (quod quidem antea nemini fermè conceſſerat) ipſo etiam

præſente ſummum imperatorem dici,& haberi uellet.atq; eius ductu(ut breui comprehendam) compluribus frequentiſsimis oppidis; Lucemburgo,Comerſio, Ligninio, Vitriaco, Sandeſirio, Aſpernecto incredibili celeritate potius eſt,ita ut Galli in magnas difficultates, atq; anguſtias adducti fuerint, & prius infeſtis ſignis propè lutetiam,urbem totius Galliæ celeberrimam,& copioſiſsimam, peruentum ſit, quàm potuiſſent illi tantas copias colligere, quibus auderent, ſe ſe in hoſtium conſpectum dare. Non me præterit hæc à me multo celerius perſtringi, quàm rerum magnitudo patiatur. uerum conſulto id facio, Auditores, ut poſsimus,etiam aliqua ex his,quæ conſequuntur,percurrere:ea enim,quę hactenus expoſuimus, ferè omnia partim in adoleſcentia, partim in iuuentute ab eo geſta fuerunt. quæ cū plurima eſſe conſtet ac maxima; qualia & quāta erunt illa, quæ quatuordecim paulo minus annorum ſpacio, quos poſtea uixit, ſumma cum laude perfecit? cum ergo Cæſar huius ſui præſtantiſsimi ducis fortitudinem, fidem, & maximarum rerum uſum in dies magis agnoſceret,atq; amplecteretur, poſtquam uaſtius,

uir omni illuſtri laude celebratiſsimus, qui ſuis in Italia exercitibus, Mediolanenſiq; regno plures annos cum imperio præfuerat, uita exceſsit; neminem habuit, quem potius in eius locum ſufficeret. Si quod autem munus eſt, aut imperium, quod poſsit ingenium hominis, quámuis bonum ac firmum, labefactare, & corrumpere, illud profecto maxime huiuſmodi eſſe omnium iudicio exiſtimatur, propter eximiam loci amplitudinem, ingentes opes, ſummam amænitatem. Atqui Ferdinandus in eo ità ſe geſsit, ut neq; amænitas ad delectationem ipſum alliceret, neq; opes ad auiditatem incitarent, neq; amplitudo ad ſuperbiam impelleret. aditus ad eum facillimi erant; plebs non deſpiciebatur: optimates pro dignitate pluris fiebant; tributa noua minus imperabantur: uetera humaniter exigebantur; eaq; in publica commoda, atq; tempora inſumebantur. in rem ſuam tantum aberat, ut quicquam omnino conuerteret, ut etiam ex tam copioſo, & locupleti imperio cum grandi ære alieno diſceſſerit, non tam priuatis eo quidem, quàm publicis ſumptibus contracto: ſemper enim gloriam diuitijs potiorem duxit. ſe ipſum autem

tem qui contineret, parum negocij habebat in continendis aliis: magiſtratus ſine ulla corruptela ſuis quisq; muneribus diligentiſsime fungebatur; iudices ex legibus, importunis altercationibus reiectis, integre iudicabant, & cauſas breui componebant; quinimmo per ſe ipſe non paucas controuerſias auctoritate, & ui ingenij ſui continuo dirimebat: militum nulla ſeceſsio, nullus tumultus, nullæ rapinæ. Iam uero animi oblectationem, & ſolatia ſua in eo ponebat, ut ſemper fructuoſum aliquem laborem ſuſciperet, & uniuerſam illam prouinciam à periculis, quantum eſſet in ipſo, tutiſsimam ſeruaret, atq; oppida, & potiſsimum Mediolanum firmiſsimis mænibus propugnaculisq; muniret. quod ſanè miro artificio, incredibiliq; ſtudio prçclare conſequutus eſt, tametſi Architecti propter immenſam urbis magnitudinem, cæterasq; difficultates negarent id fieri poſſe: ſed ipſe eorum iudicium, ac ſcientiam longe ſuperabat, ita, ut Cæſar nullas uſquè oppidorum munitiones inchoandas putaret, quin prius eius ſententiam exquireret, & deſcriptionem haberet. Ac, ne ſingula enumerem, pro Cæſaris dignitate, atq; amplitudine omni-

omnibus locis excubabat; nullam dimittebat occaſionem;omnia tempora,ſingula momenta obſeruabat.quo loco nonnulla mihi in mentem ueniunt;quæ prorſus ſtatuo ſilentio prætereunda eſſe,ne, cuiuſpiam forte animus, ne abſentis quidem,offendatur: uos tamen poteritis memoria repetere,quas ille ciuitates per ea tempora ad imperium Cæſaris adiunxerit, quasq; item, cum non ſolum Cæſaris, uerum etiam Pontificis Maximi exercituum ſummus imperator eſſet,acri, atq; uehementi obſidione oppreſſerit. Subalpinæ præterea regionis oppida à Gallorum ui atq; impetu fortiſsime defendit;& quamuis illi & militum numero, & nummorũ facultate ſuperiores eſſent, tamẽ quoties eum copias educere cognoſcerent; promptiores omnino erant ad confugiendum in præſidia, quàm ad ſigna cum eo conferenda:tantum poterat unius ipſius nomen & auctoritas.neq; hic poſſum unum reticere,quod à pluribus pro certo accepi,Briſaccum, ſummum illis in locis Regis Galliæ imperatorem, tanta affectum fuiſſe lætitia,ubi audiuit Ferdinando ſucceſſorem mitti, ut homini,qui hunc ipſi optatiſsimum nuncium attulerat,non par-
uam

nam pecuniam dono dederit:prouidebat ſcili cet uir perſpicaci ingenio, plurimoq; uſu præditus,fore, ut, ſi alteri illud imperium mandaretur,res ipſe Regis ſui magis ex ſententia gereret.nec eum fefellit opinio:noſtis, quæ poſt Ferdinandi ex ea prouincia diſceſſum ſequuta ſint. Hæc cum ita uere ſe habeant; ſuperuacaneum eſſet,opinor, pluribus demonſtrare, Ferdinando quatuor illas res minime defuiſſe, quas dicunt in ſummo Imperatore ineſſe oportere. primum enim ſcientiam rei militaris quis neget in eo maximam fuiſſe, qui, excepta pueritia, totos ferè quinquaginta annos,quos in uita manſit,cunctis bellicis muneribus exercendis conſumpſit; qui plura experiendo,quàm alij diſcendo aſſequutus eſt? qui omnibus bellis,quæ plurima,& maxima à Carolo V. per tot annos uel illata, uel propulſata fuerunt, non ſolum interfuit, Sed etiam præfuit? Virtutem autem cur ei non maxime tribuamus,'cui neq; conſilium in prouidendo defuit,neq; iudicium in eligendo, neq; in agendo induſtria;non conſtantia in negocijs conficiendis,non animi contentio in periculis, non patientia in fame,ſiti, frigore, calore tolerando?

I do?

do?qui tot ptouincias ſumma fide,ſummaq́; integritate adminiſtrauit,tot imperia geſsit, tot urbes expugnauit? teſtis eſt Italia, Hiſpania, Africa;teſtes ſunt Belgæ,Galli, & omnes denique gentes:nullam enim fermè oram eſſe puto,quò eius nomen atq; uirtus non peruenerit. Age dum auctoritate eundem plurimum ualuiſſe,uel hinc cognoſcite,quòd Carolus.V. uir iudicio,ac ſapientia præſtantiſsimus, & Imperator omnium,qui ſunt,quiq́; fuerunt, maximus; omnia ſolitus eſt ad eum ultro deferre. tametſi id fortaſſe aliarum quoq; rerum commune eſt; illud certe auctoritatis proprium, quòd plura oppida ipſa fama aduentus ſui ad deditionem compulit; quòd ſuorum animos ſola præſentia,uno mehercle aſpectu confirmabat,& ad ſpem uictoriæ erigebat; hoſtes contra terrebat, deprimebat, proſternebat. Iam uero felicitatem, quæ ex quatuor reſtat, quis dubitet in eo haud mediocrem fuiſſe, qui plurimas uictorias in quacunque terrarum parte conſequutus fuit; qui, cum ſexcenta oppida partim defenderit,partim oppugnauerit, loco nuſquam ceſſerit, cum hoſte cominus perſæpe,& equo amiſſo pedes interdum pugnauerit,

rit,ipſe tamen incolumis,& uictor ſemper eua ſit,nunquam uulneratus, nunquam omnino læ ſus fuit? Deliteſcebat aliquando in inſidijs ad hoſtem intercipiendum ſub Veſeuo monte cum integra equitum ala cui præerat; tum ſubito coorta tempeſtate, fulmen terribili tonitru in eum locum repente decidit, & tamen nec ipſum,nec quenquam aliorum planè tetigit.tanta fuit ipſius felicitas. Quid?audiſtis(ut puto) caſum quoq; illum, quidam etiam ueſtrum fortaſſe uiderunt. cum aggerem ad oppugnandum Sandeſirium faciendum curaret, atq; ipſe præſens opus inſpiceret, & militum animos ad laborem inflammaret, accidit,ut illuc ueniret Renatus Aurantius, iuuenis longe nobiliſsimus, & Cæſari maxime charus:cui ille,ut erat humanus,cum aſſurrexiſſet, & hono ris cauſa ſedem ſuam conceſsiſſet;ecce ferreus maioris tormenti globus proximam aggeris partem percutit;diſijciuntur lapides: quorum unus Aurantium petit, atq; ictu mortifero in humero ſauciat,& interimit.quid amplius quę ramus? non ne uidetur fortuna, quaſi id fore præuidiſſet,rationem reperiſſe,& quidem Ferdinando honorificam,qua ipſius uitæ parcere

tur?ſed hæc ſi recte ratiocinemur,non tam fortunæ accepta referemus,quàm eius bonitati, ac ſanctitati. elucebat ſanè in cæteris ſuis uirtutibus ſumma fides & religio,maior profecto quam de homine,militiæ addicto, credi facile poſsit:etenim non ſolum iuſiurandum, ac fædera ſanctiſsime ſeruabat, uerum etiam in oppidorum expugnationibus hæc erat præcipua ipſius cura, ut cædis quàm minimum fieret, uis,& ſtuprum ne cui inferretur, Veſtales uirgines ne uiolarentur,ut fanis, delubris,omnibus deniq; ſacris temperaretur. Iam uerò ipſe per ſe diuini cultus,& puræ religionis adeo ſtudioſus erat,ut nunquam auditus fuerit uocem ullam in Deum, aut in Diuos contumelioſam emittere,utq; nullis occupationibus,nullo periculo retardari poſſet, quo minus quotidie rei diuinæ celebrandæ intereſſet,ſolitisq; precationibus uteretur. uos eum uidiſtis ſuperioribus annis, cum corpore ægro, ingredi non poſſet, ſella in hoc ipſum templum uehi ad ſolennia ſacra,& diuinas conciones audiendas. Et quiſq; miretur, hunc uirum uel ex maximis periculis, incertisq; belli caſibus euaſiſſe, uel mortem(ut poſterius dicemus) tranquilliſsimam

mam obijſſe? Id igitur ipſius probitati, ac pietati aſcribatur: illud certe fortunæ, quòd, cum & antea eas res geſsiſſet, quibus digniſsimus erat, quem etiam inimici amarent, laudarent, admirarentur; & Inſubriç ad octo annos tanta, quanta iam audiſtis, ac ſcitis, uirtute, temperantia, integritateq; præfuiſſet; tamen inuenti ſunt quidam nequiſsimi, & improbiſsimi homines, qui eum auderent falſis, commentitijsq; criminibus apud Cæſarem accuſare: Proh Dij immortales, tantam ne eſſe quorundam hominum malitiam, atq; inuidiam, ut, quem uirtute ſuperare nequeant, eundem quærant fraude, & calumniis euertere? O' iniquam fortium uirorum conditionem, ò miſeram Regum quoque fortunam. licet ueſtrã etiam, ſummi Principes, ſortem ex hac parte lamentari, quòd ueſtri ſtatus, ac uitæ ratio id habeat incommodi, ut poſitum ſit in libidine iniquorum, & maleuolorum, uiros ſæpenumerò uobis infenſos, aut ſaltem ſuſpectos reddere, qui dignitati; atque amplitudini ueſtræ omnibus officijs, ſtudio, opera, cogitatione inſeruiant. ſed noſter Ferdinandus, qui ſemper ita uixiſſet, tanquam rationem omnium rerum eſſet redditurus,

rus, audita ſuorum obtrectatorum conſpiratione, nihil prorſus commouetur; confidit, fore (id quod accidit) ut, cauſa à Cæſare recte cognita, pœniteat eos aliquando ſuæ temeritatis, & perfidiæ. Ipſe igitur ad Cæſarem uocatus proficiſcitur, certi homines in eum inquirendi cauſa eodem tempore Mediolanum mittuntur, omnia ab inuidis, & inimicis excogitantur, quæ putarent ad eum opprimendum poſſe pertinere. atqui ne ueſtigium quidem uſq; apparuit eorum, quæ ipſi obiecta fuerant; contra uero accuſatorum multa crimina deprehenſa ſunt, ſcelera, flagitia, furta, fraudes. quamobrem Cæſar odium, & iracundiam in illos iuſtiſsime conuertit, atque eorum alios, cum profugiſſent, exules declarauit, alios carcere mulctauit: Ferdinandum uero, non ſatis habuit publice, & honorifice abſoluere, ſed præterea multis laudibus, atque præmijs affecit: in quibus fuit ſanctum Seuerinum, oppidum regni Neapolitani frequens, & nobile. Itaq; uidetur ex hoc iudicio uictoriam uel magis glorioſam, quã ex ipſis prælijs retuliſſe: in eis enim poſsint fortaſſe uel ſocij, uel ſors, & fortuna non nihil ſibi uendicari, in hoc tota

plane

planè laus proprie debet ipſius uirtuti, ſapientiæ, grauitati, & conſtantiæ aſcribi; in illis apertos hoſtes deuicit, in hac ſimultatem, malitiam, inuidiam, obtrectationem, perfidiam, fortunam ipſam, rerum dominam ſuperauit. lætus igitur, & præclara fama, atq; exiſtimatione auctus Mantuam ſe recepit, ut ualetudini operam daret; quam propter maxima incommoda aſsiduosq; labores propè amiſerat, cum natura eſſet habitu optimo, & corpore robuſtiſſimo. Biennio autem poſt cum accidiſſet, ut bellum à ſummo Pontifice., maximis Regis Galliæ auxilijs adiunctis, in Neapolitanum regnum moueretur; ſtatuit omnino ſibi, uel maximo ſuo periculo, in ea loca eundum eſſe, cum ut populis ſui imperij proſpiceret, tum uero præcipue, ut etiam illic Regis Philippi rationibus aliquid conſuleret, ſi tempus ita ferret; quemadmodum tulit. nam ei Neapolim aduentanti frequens numerus honeſtiſsimorum uirorum obuiam proceſsit; eundemq; urbem ingrediētem omnes quaſi diuinum quendam uirum de cælo miſſum, & ad ipſos iterum ſeruandos profectum ita intuebantur. atq; ibi de ſumma totius belli cum deliberaretur, conſilio

inter-

interfuit, & ſalutarem,diuiniſsimamq́; ſententiam non ſolum dixit,ſed etiam ſcriptam tradidit;cui cum eſſet aſſenſum;effectum eſt,ut hoſtium uiribus unius oppiduli uana oppugnatione perfractis non longo interuallo pax honeſtiſsima conciliaretur.Cæterum per hoc ipſum tempus Rex Philippus cum apud Belgas bellum aduerſus Gallos conflaret, literas per certum tabellarium ad Ferdinandum mittit, petitq́; ut ad ipſum proficiſcatur, opera ſe, & conſilio ſuo ad maximas res peragendas indigere.non deerant,qui eum amantiſsime monerent,atq; adeo precibus obſecrarent,ut ualetudinis ſuæ,nondum confirmatæ,rationem haberet,ne ſe tam longo,tamq; infeſto itineri crederet, ne ad illas regiones contenderet, quarum cæli natura eſſet penitus ipſius ualetudini aduerſa.at ipſe decreuit,quiduis potius incommodi,& periculi ſubire,quàm committere,ut uideri poſſet,ulla unquam in re pluris ſalutem propriam, quam eorum, quibus ſemel ſe ſe addixiſſet; Regum uoluntatem feciſſe. quid mihi uita opus eſt,dicebat,niſi poſsim debita munera perſoluere, & extremas meas actiones cum primis contexere? præſtat officio

cio uel ipſa morte ſatisfacere, quàm ocioſe ui-
uẽdo etiam res ante geſtas obſcurare. Itaque
duobus quam primum filijs tanquam ſui ani-
mi ſponſoribus illuc præmiſsis,ipſe non multo
poſt ſubſequitur.fuit uero á Philippo Rege be
nigne honorificeq́; acceptus, & quotieſcunq;
de graui aliqua re deliberabatur, ad conſilium
in primis adhibitus:in quo deinde cum agere-
tur de bello inchoando,atq; alijs aliud uidere
tur,is quidem multis & prudentiſsimis rationi
bus allatis, ſuaſit, ut primo caſtra ad Sancti
Quintini mænia admouerentur.quæ profecto
ſententia comprobata,quantum commodi, ac
dignitatis attulerit,nihil eſt opus explicare,prę
ſertim in recenti memoria. nam primum cum
hoſtibus bene pugnatum eſt,multiq́; præſtan-
tes Gallorum duces, ac principes interfecti,
multi capti ſunt, & quidem in his ſummus ip-
ſe copiarum imperator Anneus Memorãtius,
uir ſapientiſsimus,& rei militaris peritiſsimus.
deinceps ipſum oppidum, opportuniſsimum
ſanè & refertiſsimum ui captum eſt; ac deniq;
hoſtes in tantam rerum perturbationem, &
difficultatem ſunt adducti, ut credi facile poſ-
ſit,futurum,ut Rex Philippus, ſi, quemadmo-
 dum

dum Ferd. ſuadebat, cum exercitu ultra progreſſus eſſet, tota fermè Gallia potiretur. At ſcilicet uerendum eſt, ne fortuito iſta contigerint. immo uero ſic pro certo habetote, ipſum Ferdinandum iam ante, quàm Mantua proficiſceretur, haud obſcure dixiſſe certis hominibus, quibuscum poterat omnia recte communicare, ſe ſe in eam ſpem adduci, fore, ſi bellum de ipſius cõſilio adminiſtraretur, ut oppidum Sancti Quintini in Philippi regis poteſtatem breui perueniret; quemadmodum accidit: ut mihi uideatur, nõ inepte dici poſſe, perfectam prudẽtiam eſſe quodammodo diuinationem. id igitur oppidum, eo auctore expugnatum, & magna ex parte dirutum idem ipſe incredibili ſtudio, ſummaq; diligentia reficiendum, atque muniendum curauit. In his autem peragendis cum ualetudini ſuæ minus parceret, curis, uigilijs, laboribusq; confectus, in morbum grauem, & multiplicem incidit: ex quo tamen aliquantum recreatus, Philippum Regem, Bruxellas proficiſcentem, proſequitur: ibiq; poſt aliquot dies iterum grauius laborare cum cæpiſſet, diligentiſsime curatur, non ſuorum opera tantum, & ſedulitate, ſed etiam ſtudio ipſius

Regis:

Regis: qui quidem ubi morbum ita ingraueſcere, cognouit, ut iam mors timeretur (quę ipſius eſt humanitas, & ſumma erga uiros magnos, ac fortes beneuolentia) hominem inuiſit, ſpe bona eſſe iubet, animum addit, omni demum officij genere conſolatur: cui ille, poſtquam maximas egiſſet gratias pro eximia erga ſe benignitate, ac pietate, reſpondit, mortem ſibi quidem honeſtam nunquam terribilem fuiſſe, ſemperq; ſtuduiſſe, ut uitam ſuam potius ei, patrive ipſius donaret, quàm naturæ reſeruaret: itaq; uel hoc ipſo tempore, ſi Deus id decreuiſſet, æquiſsimo animo ſe obiturum, præſertim cum eſſet extremum ſpiritum apud Philippum Caroli. V. filium, editurus, quibus ſe ipſum a prima adoleſcentia, & ſua omnia dicauiſſet, atq; id ſibi gratius fore, quàm ſi in ipſa patria, in complexu fideliſsimæ coniugis, & propinquorum ſibi chariſsimorum animam efflaret: illud orare, & pro ſingulari perenniq; ſuo in eos amore, ſtudio, officio, fide, itemque pro maximis & immortalibus ipſorum erga ſe meritis, ac beneficijs petere, ut uelit, ſua municipia, familiam, domum, ac præcipue liberos in fidem, & clientelam recipere; ea tamen con

 ditione,

ditione, ſi non indignos ſe tanto patrocinio, (quemadmodum ipſe ſperabat, præſtitiſſent. cuius orationi Rex benigniſsime reſpondit, ac pollicetur, fore, ut nullo unquam tempore neque ipſe, neque ſui eius erga ſe ſtudium, aut opem deſiderent: ſic enim mereri egregiam ipſius fidem, fortitudinem, atq; uirtutem, primum quidem patri, poſtea uero etiam ſibi ipſi maxime ſpectatam, & cognitam. tum iterum eum bene ſperare iubet, & ualetudini toto pectore inſeruire: itaq; ab eo digreditur, ut facile appareret quanto dolore ex eius uitæ periculo afficeretur. Ferd. poſtero die tabulas teſtamenti conficit, tanto ſanè iudicio, ac prudentia, ut is ultimus conſiliorum, & uitæ quaſi actus cum cæteris bene conſenſerit: nam, ut alia mittam ſapienter præſcripta (omnia enim percenſere neq; neceſſe eſt, neq; tempus patitur) certa bonorum parte cæteris fil ijs relicta; hæredem inſtituit Cæſarem natu maximum, quemadmodum & domus amplitudo poſtulabat, & recta ratio ſuadebat, quippe iuuenem propter magnificentiam liberalitatis uel multo maioribus facultatibus dignum, taliq; ingenio præditum, ut magnam ſpem afferat, ſe pa-

tris

tris non diſsimilem futurum. tutores autem aſcripſit Iſabellam uxorem, lectiſsimam, prudentiſsimamq; fœminam, & Herculem Cardinalem,germanum fratrem. quem quia præſentem aſpicio,ne uerbo quidem nominatim laudare audeo,quamuis ſit maxime omnium laudandus.His tunc ita conſtitutis,poſtridie, qui dies fuit xvi.Cal.Decembris, Cæſarem & Andream filios, qui ipſum ſequuti fuerant; ad ſe uocari iubet, atque eos (ſicut accepimus) in hanc ferè ſententiam alloquitur. Vocor iam (ut uidetis) ò mihi chariſsimi filij, ab illo, qui huc me miſit, Deo opt. max. unde ego quidem,tanquam ex diuerſorio,non inuitus diſcedo,tum quòd non multum mihi pænitendum puto,quandiu uixerim, tum quia uos ſuperſtites relinquo; in quibus, tanquam in ueris & corporis, & animi mei imaginibus, confido, me etiam uita defunctum, aliquo modo uicturum eſſe:quam uos expectationem ne decipiatis,ſi me,& uos metipſos diligitis, omni cura, opera, atq; ſtudio prouidete. id autem facile hac ratione conſequemini,primum quidem ſi omnia ueſtra conſilia, atque facta honeſtate, & decore metiamini;deinde,ſi uobis ante ocu

los

los proponatis ataui,proaui, aui,patrui, atque etiam patris ueſtri(ſi qua illa eſt) exiſtimationem, & gloriam, ſimulq; animum inducatis, eam uobis, ſi uitam ſimilem egeritis, magno ſplendori,& honori: ſin minus, dedecori atq; ignominiæ futuram:nam magis optandum uidetur humili loco eſſe natum,quàm, cum maiores claros,præſtanteſq; habueris,illorum dignitatem uiolare. Equidem quantum in hoc laborioſiſsimo uitæ meæ curſu profecerim, aliorum ſit iudicium,illud certe ſpectaui ſemper, ut maius nominis, & famæ patrimonium uobis relinquerem, quàm fortunarum: quare non meo uos ſtudio, aut induſtriæ, quaſcunq; accipietis facultates,acceptas referre debetis, ſed Cæſaris beneficentiæ,ac liberalitati,& Philippi etiam Regis, eius filij; quibus uos penitus trado,atque addico, planèq; interdico, ne cui unquam,prçterquam ipſis, uel ipſorum poſteris ueſtram operam ſtudiumve præſtetis.id ego uobis(ſi memoria tenetis) non ſemel antehac præſcripſi,idem nunc poſtremo etiam, atque etiam mando, ac pro paterna poteſtate jubeo.Illud uero in primis uos moneo, ut ea, que ad Dei opt.max.cultum pertinent, haudquaquam

quaquam negligatis;iuſtitiam integerrime ſer uetis;de eorum quibus præeritis,ſalute, quiete,& commodis ualde ſoliciti ſitis; magno animo, & excelſo omnia geratis; ut denique quibuſcunq; in rebus audiatis matrem ueſtram, ac patruum:quorum quidem eximius amor,& ſingularis prudentia erunt uobis magno ſolatio,magnoq́; adiumento. Itaque tutores etiam eoſdem uobis inſtitui,ut per illos ſolitudinem orbitatemq́; ueſtram,quãtum fieri poſſet,ſubleuarem, certa ſpe ductus, fore, ut ij uobis & charitate, & ſtudio meum officium omnibus in rebus præſtent.quod ut diligenter, ac libenter faciant,uos quoque meis uerbis petite,orate,obteſtamini. Hæc uobis,filij,præcipio, utq; eadem alijs fratribus ueſtris meo nomine præcipiatis, mando; quæſoq́; uti uos (quomodo decet) mutuo ametis, concordiſsimeq́; uiuatis. Huic ille ſermoni finem cum feciſſet, tum uero in eam curam, & cogitationem totus incumbit,ut animæ proſpiciat,atq; omnia, quæ Chriſtianæ religionis ritu decedentibus adhiberi ſolent,ſua ſponte expetit,& ſingula pie,ac curateq́; obit. Ad extremum hora ferè uigeſima eiuſdem diei, omnibus adhuc integris ſen-

ſibus,

ſibus, ita moritur, ut negent, ullum philoſophum, non modo imperatorem potuiſſe tranquillius, aut conſtantius decedere. Qua hora, Auditores, dici non poteſt, ne cogitari quidem, quantam iacturam in eo fecerint omnes ipſius filij, propinqui, familiares, ciues orbis terrarum propè dicam uniuerſus. Itaq; non ſine cauſa rex Philippus, cognita eius morte, magnam animi moleſtiam, ac perturbationem præ ſe ferre, & uulgo dicere, maximum uirum obijſſe, fidiſsimum ſe ſtudioſiſsimumque familiarem, ſapientiſsimum, & fortiſsimum ducem amiſiſſe. tum ad filios conſolandos mittit, & curat, eum funere, ſummis omnium ordinum uiris proſequentibus efferri. Mantuæ uero acerbiſsimum nuncium de ipſius morte allatum quantæ neceſſariorum lacrymæ conſequutæ ſint, quales municipiorum lamentationes, qui ciuium fletus, ſcitis omnes, atq; experti eſtis: omnes ferè omnium ætatum ueſtes mutare, in ſqualore, & ſordibus iacere, nihil niſi lugubre, & luctuoſum ſpectari: ut diceres, communem omnium patronum, atq; parentem occidiſſe. Nec multo poſt preces, & ſacrificia pro eo ad omnia auguſtiora templa per

per biduum decreta ſunt, Cardinale ipſo ita iubente, qui profecto nihil prætermiſit, quin ſicut uiuo fecerat, item mortuo amantiſsimo fratri omnia officia perſolueret, plena curæ, plena charitatis, plena memorię. Tum legationes ex pluribus locis miſſę partim ad illius obitum deplorandum, partim ad propinquos conſolandos, apertiſsime declararunt, quantum deſiderij & uirtutis, & auctoritatis ſuæ apud omnes reliquerit. Neque uero huius præſtantiſsimi uiri; uel potius Herois interitus non eſt diuinitus quodammodo prænunciatus. nam hoc ipſo anno Mantuæ eius ædes tonitru contremuerunt, fulminisq; ictu deflagrarunt, atque huiuſmodi alia euenerunt, quæ nos tantę iacturæ certiores non obſcure faciebant, ac denunciare uidebantur, fore, ut maximum totius Italiæ decus, firmiſsimum Mantuæ columen, & ſingulare lumen Gonzagię domus interiret, ſicuti factum eſt: nemo enim non uideat, Ferdinandum ſuo interitu & uniuerſæ Italorum nationi plurimum ornamenti, & patriæ multum præſidij, & familiæ deniq; ſuæ clariſsimam lucem eripuiſſe: qua quidem non modo æqualium, uerumetiam maiorum ſuorum luminibus

buſ offeciſſe uidetur. magnus ſanè uir fuit Ludouicus ipſius proauus, maior Federicus auus, maximus Franciſcus pater, ſed eo fortaſſe aliquanto minor, quòd natum ſe maiorem reliquit. an uero hoc ipſo planè maximus, quòd talem procreauit filium? Merito igitur illud etiam procuratũ eſt, ut, cum primum per longinquitatem locorum, ac per tempora liceret, cadauer Mantuam referretur, terræq́; patriæ, quaſi matri, reſtitueretur, ubi iuſtis exequijs, pompa, laudatione non careret, ac demum in ampliſsimo monumento, honoris ipſius cauſa extructo, conderetur. longior omnino fui, Proceres, quàm putaram, tum quòd cauſam nactus ſum, in qua nemini poſſent uerba deeſſe, tum quia ueſtra benignitas, & audiendi ſtudium orationem meam prouexit. neq; tamen non multo plura relicta ſunt quam commemorata: ſed uel ex ijs ipſis confido me aliqua ex parte id præſtitiſſe, quod initio uobis ſum pollicitus: nam & ea explicauimus, unde poſsint perſpicua prudentiæ, fortitudinis, iuſtitiæ, continentiæ, ac cæterarum uirtutum omnium exempla transferri & dolorem ueſtrum nihil eſſe uideo, quod leuare magis aut poſsit,

aut

aut debeat, quàm ſi cogitaueritis, Ferdinandum ita uixiſſe,itaq́; obijſſe,ut non deflendus, deplorandusue ſit,ſed potius celebrandus, & beatiſsimus ducendus: qui, lectiſsima progenie, atq; æterna ſui nominis memoria relicta ex hoc infimo, tenebricoſoq́; domicilio ad illam ſummam,& clariſsimam patriam euolauerit, ubi uera, ac ſempiterna uita feliciſsime fruatur.

FINIS.

MENDA, QVAE IN imprimendo incidêre ita ſunt emendanda.

Pagina.4.quia	emenda	quin
5. ut ſine		ne ſine
6. actiore		acriore
prædictum,		præditum,
7. familiarum		familiarium
14. laconiam cæteriqui		Laconiã cæteroq;
16.Ad phocion uir		Ac phocion,uir
17. lucen tis		lucentis
certa		coorta
19. Bizantios,		Byzantios
21. grauioribus		grauioris
22. Taleuci		Zaleuci
23. etiam		iam
24. tribus		regibus
26.quorundam,		quarundam,
facimus?		facimus.
27.negocij		negocijs
ɯɯoɔode,		commode,
28 Lacedemonas,		Lacedœmonas.
32. quo,ipſe		quo ipſe
33.manibus		inanibus

immiſcendo,

34.immiſcendo,	immiſcent,
37.ſaciunt	faciunt
nè ue	nèue
51. tornaci	Tornaci
52. fi	ſi
53.præcibus	precibus
55. faceret;	faceret?
57. incohatas	inchoatas
61. lutetiam,	Lutetiam,
uaſtius,	Vaſtius,
63.uſque	uſquam
64.ne,cuiuſpiam	ne cuiuſpiam
68. quisq́;	quiſquam
70. usq;	uſquam
78. que	quæ

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Series chartarum,

ABCDEFGHIKL.

Omnes ſunt quaterniones.

Venetijs apud Nicolaum Beuilacquæ.
M D LXI.